



Hieronimus Magius

de tintinnabulis cum  
notis Francisci Swartii  
Anno 1661.

Hieronimus Magius de  
Squaleo cum notis Go-  
thofredi Jungermanni  
et appendice de Ecclae  
tormento et Sigonie,  
Gallionie et Turati  
scriptis. Anno 1664.

MAGIVS  
DE  
INTIN NABVLIS



P. Philip. sculp.



HIERONYMI MAGII

ANGLARENSIS.

D E

TINTINNABULIS

Liber Postumus.

FRANCISCUS SWEERTIUS F.

Antverp.

Notis illustrabat.

Editio novissima aucta, emendata, &  
figuris aneis exornata.



OPTIMI CONSULTORES MORTVI.

AMSTELGDAMI,

Sumptibus ANDREÆ FRISII.

ciclo c. lxxiv.



CC  
200  
M2A  
166A  
Book case

*Amplissimo, Spectatissimo,  
Doctissimoque  
Viro,*

D O M I N O

D. MATTHIÆ BODE,  
Amico, Faurori, & Pa-  
tronoo suo æternùm  
colendo,

ANDREAS FRISIUS  
S.

 Agna quidem li-  
terarum & eru-  
ditionis in omni  
fortunâ vis ac po-  
testas est; sed longè maxi-

A 3 ma

ma in rebus adversis : nec  
quidquam usque adeò in-  
tolerabile & grave inve-  
nias, quod non æquo ani-  
mo ferat bonis artibus pro-  
be munitum pectus. Exem-  
plo nobis unus omnium in-  
star **M A G I U S** erit , qui  
honesto apud suos loco na-  
tus , multisque defunctus  
honoribus,cùm expugnatà  
**R H O D O** in diram servitu-  
tem incidisset , & jam ci-  
viliter pro mortuo habere-  
tur , à solis literarum stu-  
diis hujus tam adversæ for-  
tunæ solatia mutuatus est,  
idque tantà animi securita-  
te

te & constantiâ, ut non ser-  
vilibus ministeriis distri-  
ctus, sed in ipsâ arce lite-  
ratorum constitutus, uni-  
versæ antiquitatis arbitrum  
egisse, & vivam quandam  
Bibliothecam circumtulif-  
se videri possit. Et hæc qui-  
dem causa est, cur hoc tan-  
ti viri opus posthumum  
*Sweertius* doctissimis suis  
annotationibus, nos prælo,  
& novâ veste dignissimum  
judicaverimus. Ceterum  
cùm pro more quærendus  
esset, cui offerretur hoc  
quicquid est operis, tu pri-  
mus occurrebas. *Vir Am-*

A 4 *plif-*

*plissime*, quem & Magius  
sibi si viveret lectorem, &  
ego huic meæ editioni pa-  
tronum designarem. Ete-  
nim id longo rerum usu,  
& variis per *Germaniam*,  
*Gallias*, & *Italiam* peregri-  
nationibus, assiduisque stu-  
diis consecutus es, ut simul  
judicare de aliorum scri-  
ptis quam optimè, & va-  
rios fortunæ casus (quod  
verè sapientis est) exigere  
ad rationis trutinam possis.  
Ac cæteras quide[m] dotes  
tuas, ne vel modestiæ tuæ  
gravis sim, aut palpum ti-  
bi obtrudere velle videar,

nunc

nunc Iubens mitto : id tan-  
tum mihi pace tuâ , & sal-  
vo pudore meo mihi dice-  
re liceat , insignem tuam ,  
quam toties expertus sum  
humanitatem , nullo non  
officiorum & honoris ge-  
nere mihi dignissimam sem-  
per visam esse , cùm tamen  
per fortunæ meæ conditio-  
nem haec tenus nihil quid-  
quam suppetierit quo te-  
stari animum in officia pro-  
pendentem potuerim , reli-  
gioni mihi ducerem si hanc  
occasione negligeret non  
solvendi , ut dicebam , sed  
agnoscendi debiti . Suscipe

A 5 igi-

igitur *Vir Amplissime* tabel-  
lam hanc obligatoriam tam  
benevolo, quàm benefi-  
cia tua præstitisti animo,  
& me quo cœpisti pede  
amare perge.

TY-

# TYPOGRAPHUS LECTORI.

**P**Romissis stamus be-  
nignè lector, & Ma-  
gI de *Tintinnabulis*  
libellum serius nonnihil,  
sed cum aliquo tibi fœno-  
re offerimus. Etenim præ-  
ter *habitum Aaronis Sacer-*  
*dotalem*, ac quæ huic ap-  
pensa fuere *Tintinnabula*,  
accessit & *Schema campa-*  
*narum harmonicarum*, qua-  
rum frequens in Belgio u-  
sus est: nec non *idea turris*  
*Pisanæ simul & Bononiensis*,

A 6      qua-

quarum utraque in tantum  
à perpendicularo declinat, ut  
præsentem ruinam minita-  
ri videatur. Hæc & talia  
ad majus operis ornamen-  
tum, & uberiorem eluci-  
dationem mentis authoris  
suo loco adjecta esse scias.  
Tu his utere, fruere, & nos,  
quod facturum te confidi-  
mus, favore tuo prosegue-  
re. Vale.

E L O-

ELOGIUM

HIERONYMI MAGII,  
Potissimum è scriptis ejus.

**H**IERONYMUS MAGIUS  
patriam habuit apud In-  
subres Anglariam ditio-  
nis Mediolanensis; quæ urbs &  
alios parentum memoria doctrinâ  
claros viros protulit, in his  
**PETRUM MARTYREM**, non  
**Etruscum illum**, sed rerum  
**Hispanicarum** ac novi orbis  
per decades scriptorem: ma-  
gnum quoque illud saeculi decus  
tulit **ANGELUM CANINIUM**  
eruditis linguis ad miraculum  
eruditum: Syriacam enim  
**Grammaticam dedit**, ac de  
Hel-

Hellenismis aureum sanè opus, vertitque Simplicium in Epicteti enchiridion. Igitur MAGIUS litteris non leviter ab adolescentiâ tinclus, atque adeò, ut erat excitato ingenio fidaque memoria, imbutus, ad legendum se dabat, librorum ut helluo videretur. Quemcunque librum semel arripuissest, nulla nec obscuritate terreri, nec novitatis illecebra adduci potuit, ut de manibus deponeret, priusquam pervenisset ad metam. Audivit attentè FRANCISCUM ROBORTELLUM Utinensem Bononiæ Doctorem Eloquentiæ atque Historiæ, qui

qui cum CAROLO SIGONIO  
de laude eruditionis sic conten-  
debat, ut hic scriptis longè ante-  
iret, ille sermone stupendus di-  
cendique acrimoniâ omnium in  
se ora vultusque converteret.  
Hinc sitim affatim cùm litteris  
atque historia explevisset, ad  
Iuris prudentiam se, Græcis e-  
tiam litteris probè instructus, sic  
contulit, ut decurso demum spa-  
tio scriptis eandem in lucem  
evulgatis, illustrare non medio-  
criter (ni fata impeditissent) co-  
gitaret. Multa enim id generis,  
solemni quorundam more, po-  
steros exspectare jubet, sed  
spem mors intempesta elusit.

Edi-

*Edidit autem superstes hæc fe-  
rè: Annotationes uberes post  
Gybertum Longolium Belgam  
in Æmilium Probum, de  
vitâ excellentium Græciæ  
Impp. à quo multa Dionysius  
Lambinus audacter mutuatus,  
taciturnitate ( ut ne nominare  
quidem sustineat ) ingrati vix  
crimen effugit. Mox de mun-  
di exustione & die judicii,  
ex Stoicorum veterumque sen-  
tentia copiosè differuit, ac Ba-  
fileæ utrumque opus foras abi-  
re permisit. Adhæc Venetii,  
ubi & Typographis operam na-  
vasse fertur, Variarum le-  
ctionum, seu Miscellaneo-  
rum*

rum libros iv. multæ sanè le-  
ctionis argumenta. Index hinc  
causarum militaris à Venetis in  
Cyprum missus, jus dixit. Ob-  
sessâ dein à Turcico exercitu  
Famagustâ, quæ Salamis quon-  
dam dicta, anno Virginei par-  
tus supra millesimum & quin-  
gentesimum primo & septuage-  
simò, ac vertente anno, die v.

Augusti captâ, captivis contra  
fidem datam à perfidâ natione  
Christianis, & M. Antonio  
Bragadino urbis Præfecto  
(quod vel meminisse refugit ani-  
mus) jussu Mustaphæ Bassæ,  
vivo excoriato, MAGIUS cala-  
mitatem non effugit, sed vivus

in

*in hostium potestatem veniens,  
in Asiam abductus, servitutem  
Iudeo serviit. O casum tristem  
ac miserandum! Conscriptis è  
memoria ferreas gestans cate-  
nas de Tintinnabulis com-  
mentarium, quibus Turciam  
carere animadverterat, quan-  
tus rerum thesaurus sit memo-  
ria, ostendens. Eum obtulit  
**D. CAROLO RYMO**, nobili  
**Gandavensi**, qui Cæsaris Ma-  
ximiliani Legatum Byzantii a-  
gebat, donavitque **PHILIBER-**  
**TUS RYMIUS Gandavensis**  
**Senator Soc. JESU Patribus**,  
*qui, ne labor funditus interiret,*  
**Notis nostris illustratum e-**  
**xire***

xire permiserunt, ut hæc qualia-  
cunque qui leget, humanarum  
rerum vicissitudinem calamita-  
temque formidare assuecat.  
Commentatus quoque erat paulò  
antè, quām à barbaro Mahome-  
te Bassâ crudeliter strangulare-  
tur, de Equulco, ejusque quæ-  
stionis formâ, à nemine hactenus  
rectè intellectâ, quem THOMÆ  
SEGHETO Britanno v.cl. po-  
steritas feret acceptum. Atque  
hactenus quæ in lucem evulgata  
leguntur. Adjiciam quæ passim  
editurum se promiserat, præser-  
tim Notis ad Æmilium Pro-  
bum, si fortè apud incuriosos he-  
redes adhuc delitescerent.

In

**In Bucolica P. Virgilii Ma-  
ronis.**

**De antiquorum prandiis  
& cœnis.**

**Annotationes in A. Gel-  
lium.**

**Hortorum libros.**

**De machinis *ex Heronis*  
*libro περὶ πολεμικῶν ὁργάνων.***

**De urbium expugnatio-  
ne, *Italicè.***

**De urbium propugnatio-  
ne, *Italicè.***

**De urbium architecturâ.**

**Necrotaphologia seu de  
sepulchris & sepeliendi  
ritu lib. x.**

**Miscellaneorum lib. iv.**

*Mis̄oωv̄yis̄as* lib. v.

*Hæc ad Philologiam pertinent.*

*ad Ius verò Civile :*

*Lexicon Iuris.*

*Annotationes in Institu-  
tiones Juris.*

*Ad L. Julianum de adult. L.  
Cùm vir nubit.*

*Apophyades ad Budæi  
annotationes in Pande-  
ctas.*

*Amicis usus est familiariter  
summis eruditione viris, ut ferè è  
studiorum morumque similitudi-  
ne conjunctio firmaque nascitur  
amicitia, in his PETRO AN-  
GELIO BARGE, principe æ-  
vis sui Poëtarum, qui doctos il-  
los*

los Kurnyētikāv post Oppianum  
libros lusit; FRANC. item, ut  
diximus, ROBORTELLO &  
OBERTO GIFANIO Burano  
Belga I. C. ac Philologo insi-  
gni. Taceo ceteros.

---

P. LUDOVICUS MEDARDUS  
*In Libellum de*  
**TINTINNABULIS.**

**C**ompeditus vinctus dum  
Tintinnabula pulsat  
MAGIUS, æra quidem muta  
sed æra ferit.

**S**WEERTIUS hæc eadem cala-  
mo dum postuma tractat,  
Quid facit? æra prius muta,  
sonora facit.

IN-

# INDEX CAPITUM

## *Libri de Tintinnabulis sive Campanis.*

-  *E* *Tintinnabuli* voce, & quam  
verè Joannes Tortellius, at-  
que alii *Tintinnabula* apud anti-  
quos fuisse negaverint. Cap.I.  
De primo *Tintinnabuli* inventore. C.II.  
De majoribus, publicisque antiquorum  
*Tintinnabulis.* Cap.III.  
De *Tintinnabulis* sepulcri Porsenæ Tus-  
corum Regis. Cap.IV.  
Quis olim usus esset *Tintinnabuli* in pri-  
vatis Romanorum ædibus. Cap.V.  
An apud antiquos horæ, ut hodie, *Tin-  
tinnabuli* fono distinguerentur, Lu-  
ciani locus antea obscurus declara-  
tus. Cap.VI.  
De æ Syriæ sacerdotem uti consueuisse  
*Tintinnabulo.* Cap.VII.  
Bruta quoque *Tintinnabuli* ab usu non  
excludi. Cap.VIII.  
De *Tintinnabulis* Hebræi Sacerdotis.  
Cap.IX.  
Quis minorum *Tintinnabulorum* publicè  
olim apud antiquos usus. Cap.X.  
De

- De *Tintinnabulo* eorum , qui ad suppli-  
cium ducerentur , & triumphantis  
Imperatoris. Cap.XI.
- De antiquorum Tympano quod *Tin-  
tinnabula* multa contineret. Cap.XII
- De superiorum sæculorum castrensi  
Campanâ. Accursii locus declaratus.  
Cap.XIII.
- De virtute tinnitus æris , & *Tintinnabu-  
lorum*. Cap.XIV.
- Tintinnabulis* , Turcarum & Græcorum  
templa carere. De *Symando* , & *A-  
giofydiro*, Cap.XV.
- De turribus, quæ *Tintinnabulis* dicantur.  
Cap. XVI.
- Tintinnabulorum* , sive *Campanarum* tin-  
nitu hodie è templorum turribus  
quibusdam in urbibus muficos con-  
centus magnâ cum voluptate expri-  
mi, Cap. XVII.
- De minorum *Tintinnabulorum* usu apud  
principes viros , & magistratus civi-  
tatum. Cap. XVIII.
- De *Tintinnabulis* , quæ ædium foribus.  
alligantur. Cap.XIX.
- De *Campanarum* conficiendarum , &  
suspendendarum arte, & quâ ratione  
statere non magno earum pondus  
deprehendi possit. Cap.XX.

HIERONYMI MAGII  
P R A E F A T I O

*In librum de Tintinnabulis  
sive Campanis,*

*Ad Illusterrimum, & Magnanimum*

D. D. C A R O L U M R Y M,  
G A N D A V E N S E M,  
Maximiliani semper Augusti  
Imp. Oratorem.

**P**LAUTUM Latinæ lin-  
guæ auctorem nobilissi-  
mum, Christianorum  
Imperatoris semper Augusti  
Orator illustrissime, in pistrino  
è fabulis suis nonnullas scripsis-  
se, mirum tibi fortasse aliquan-  
do visum est. Mira prorsus res  
modò tibi absque dubio videbi-  
tur, me captivum, & Turcæ ho-  
minis servum, in ergastulo, li-  
bris

bris omnino, & memoriae admiculis carentem (vix enim tunicatus è clade Cypricâ superfui) hunc de Tintinnabulis libellum composuisse; ut Homerus omnigenæ alioqui virtutis parentem mendacii quis insimulet, quod Jovem servis dimidium mentis abstulisse, memoriae prodiderit. Quanquam Philosophos, atque auctores non contemnendos, servos fuisse, Aulus Gellius, & Macrobius, ut alios omittam, attestantur. Verum enim verò, Heros, atque here Illustrissime, illud te ignorare nolim, DEUM Opt. Maximum, qui me ex innumeris terræ, & maris periculis servavit, hoc perducto etiam præsto adfuisse, videri facile posse: siquidem ea ferè omnia mihi sugges-  
sit,

fit, quæ per ocium olim litteris  
mandaveram, & Cyprum me-  
cum detuleram, ut relegens a-  
liquando ex animo graviores  
curas, & molestias depellerem.  
Quamobrem est quod eo etiam  
nomine ejus numini gratias a-  
gam immortales, præsertim  
cum te, D. Illustrissime,  
salutandi occasionem nactus  
sim. Est enim in more pos-  
tum, ut qui litteris operam  
non pœnitendam navarunt,  
quos conscripserint libros, ho-  
noris ergò tui similibus princi-  
pibus viris offerant, & hujus-  
modi muneribus eorum gra-  
tiam demereantur. Feci autem  
libens ut hunc tibi librum di-  
carem, cum præter D E U M  
Optimum Max. in te uno hu-  
jus calamitatis meæ salubre

remedium possum esse, & abste  
uno salutem meam petendam es-  
se intelligerem. Quandoquidem  
tu Christianorum Imperatoris,  
litteratorum hominum amato-  
ris summi, Christianâ pietate,  
& virtutum omnium choro in-  
signis Legatus, non sine divino  
numine in hanc urbem meliori-  
bus auspiciis quam Roma fue-  
rit (ut Justiniani Imp. verbis  
utar) fundatam missus videris,  
& præter maximi ponderis le-  
gationem, oppressorum servitu-  
te Christianorum patrocinium  
fusceres, usque adeò, ut ad te  
tanquam ad flaminem Dialem,  
seu potius tanquam ad augustif-  
simam Imperatoris statuam,  
quod olim miserorum hominum,  
præsertim servorum præsidium  
esse consuevit, captivi Christia-  
ni,

ni, qui huc frequentes è Christi-  
ano orbe devehuntur, ac protra-  
huntur, configere, tuosque ad  
pedes provoluti auxilium expos-  
cerent. Jure igitur, patronे op-  
time, hoc ego quamvis exiguo  
munere salutandum, & colen-  
dum esse duxi, & ad te, tanquam  
ad MAXIMILIANI Incliti Im-  
peratoris Imperatoriis omnibus  
virtutibus refertam imaginem,  
ac statuam configio, jure tuos  
ad pedes, Heros maxime, sup-  
plex procumbo, opemque implo-  
ro, & mihi omnino persuadeo,  
nullo te pacto Christiano homini  
deesse velle, præsertim cùm is  
sim, qui scriptis meis pridem  
rem litterariam nonnihil pro-  
moverim, ac in futurum non pa-  
rum promovere possim. Nam  
cùm in bonarum litterarum stu-

*d̄is ætatem consumpserim , li-  
bros quinque de Mundi exu-  
stione, & die Judicii conscripsi,  
quos typis Basileæ Henricus  
Petri superioribus annis excu-  
dit : item commentaria in Æ-  
miliū Probum, ejusdem Hen-  
rici prælo repræsentata : præ-  
terea Miscellaneorum , seu  
Variarum lectionum libros  
quatuor, & alios \* Italicâ lin-  
guâ non parvi momenti libros,  
quos Venetiis impressos , ac ubi-  
que venales te legisse , aut sal-  
tem apud Bibliopolas Viennæ  
Austriæ, aut Pragæ conspexisse  
arbitror. Quibus libris tan-  
quam ingenuis, hic veluti verna  
à servo homine (prob dolor) in  
ergastulo genitus, editusque quo  
paetō*

\* Ut de machinis Belgicis , de Ur-  
bium expugnatione.

pacto rectè sociari possit, non  
satis perspicio; nisi (quod fieri  
posse video, ac spero) tam pro-  
sperà ille utatur fortunā, ut me  
postliminij jure per te in pristi-  
num statum facile reducto, inge-  
nuitatis beneficium adipiscar-  
tur. Si verò mespes minimè fal-  
lat, & eam, quæ id præstet, mi-  
hi citò diem illucescere videam;  
te mihi D̄eum fuisse, posterita-  
ti prodere ac prædicare potero,  
ac dum vivam cum Virgilio de-  
te semper loquar,

Namque erit ille mihi semper deus,  
illius aram

Sæpe tener nostris ab ovilibus im-  
buet agnus.

Tibi vitam, tibi libertatem,  
quâ nihil mortalibus, ac etiam  
brutis, carius esse consuevit,  
tibi fortunas omnes debebo.

*Variis periculorum fluctibus ja-  
etatus, jam prosperâ ac secundâ  
aurâ, Illustrissime D. in ædes  
tuas tanquam in portum me  
propelli, videre video, jam li-  
men saluto, jam postes, jam atrii  
pavimentum exoscular, & ab  
atriensibus servis excipior: jam  
raso capite, hoc est (ut rectè Eu-  
tropius ait) servitute detersâ,  
pileum Pannonicum (pileum o-  
lim signum fuisse libertatis, opti-  
mè nosti) tuis è manibus acci-  
pio: te Dominum meum, te  
Deum saluto: jam longarum  
ærumnarum, jam duri laboris,  
minarum herilium obliviscor.  
Sed jam tempus est ut ad pro-  
positam de Tintinnabulis seu  
Campanis tractationem deve-  
niamus.*

**De**

D E  
**TINTINNABULI**

*Voce, & quam verè*

**JOANNES TORTELLUS,**  
 atque alii *Tintinnabula* apud  
 antiquos fuisse ne-  
 gaverint.

**C A P. I.**

**I**Nter multa, Orator  
 Illusterrime, quæ ho-  
 mines jure sociati ex-  
 cogitarunt, non postremum  
 sibi locum vendicant **TIN-  
 TINNABUL A:** siquidem his  
 commodè die noctisque horæ  
 distinguuntur, magistratus, co-  
 mitia minora, majoraque con-  
 vocantur, sacerdotes divinum  
 ad cultum, & multi mortales  
 ex urbe quamvis magnâ exci-

B S tan-

2      *Hieronymi Magii,*  
tantur, & sonitu crepituque  
non ingrato, ut in ecclesiis fre-  
quentes conveniant, allici, &  
quasi rogari consueverunt: &  
quibus, cum ad arma accersiri  
cives oportuerit, hominum  
corda, mentesque ad dimi-  
candum accenduntur; ut mul-  
tos nunc **TINTINNABULO-**  
**RUM** alios usus, de quibus  
infra scripturi sumus, omit-  
tam. De his, cum neminem,  
qui ad hanc usque diem latè  
pertractaverit, repererim, scri-  
bere, & pro viribus posteritati  
prodere visum est. Ac quia  
omnis de **TINTINNABULIS**  
sermo futurus est, antea de  
*Tintinnabuli* voce aliqua pro-  
tulisse par est.

Est igitur sciendum, sono-  
rum

rum hoc instrumentum non simplici nomenclaturâ significari; siquidem *Tintinnabulum*, *Petasus*, *Codo*, *Nola*, & *Campana*, & *Lebes*, à scriptoribus dicitur.

TINTINNABULUM à *tinnitu*, quem , dum pulsatur, edere folet, dici arbitror: tinnitus autem æris est; & ex ære primùm, mox ex ære, stanno, plumbo, argentoque nonnunquam admistis, fieri Tintinna-bula consueuisse, nemini dubium est. Æs autem ab aëre, si-ne quo vox, sonusque fieri non possunt, ut è vocis definitione apud Aristotelem, Avicen-nam, atque alios patet, Galeo-tus Martius Narniensis, olim *Mathiæ Corvino* Pannoniæ

Regi in litteris præceptor, & in castris miles, testatur appellatum, in libro, quem *de doctrinâ promiscuâ conscripsit*; nullum namque ex metallis perinde ac æs sonorum esse dicit; nisi in argento ille mentiri videatur. Sed hoc alterius loci est. Illud autem *Bulum*, in voce *Tintinnabulum*, nihil omnino significat, sed est quædam vocabuli productio, ut in *prostibulo*, *mandibula*, *incitabulo*, *mendicabulo*, & aliis hujusmodi non paucis. Tinnitus autem, qui pulsato hoc instrumento fieri solet; voce hac optimè exprimitur, ut in voce *bovis*, *boatus*; etenim tintinnire æra solent, id est, *Tin*, *Tin*, pulsata personare.

nare. A *tinnitu* igitur, sive à voce *Tin, Tin*, quæ cùm æs increpuit, editur, *Tintinnabulum* dici, tam apertum est, ut hujus rei gratiâ nullam Grammaticorum scholam nobis sit necessarium ingredi.

*Petasum* dici majus tintinnabulum, à *petasi*, id est, galeri formâ & similitudine, nemini obscurum esse videtur. *Petasum* autem à Varrone in tholo hujusmodi instrumentum appellari ( si memoriâ fidelis, in deposito utor ) aliquando animaverti : quamquam & in Laconico clypeus æreus ; per cuius deductio- nem, & reductionem calor au- geri, vel imminui consuevisset sic dicitur ; ut apud Vitru- vium,

## 6 Hieronymi Magii,

vium, ubi de balneo agit, per-  
spicere licet. Quem clypeum  
in thermis ac balneis pulsari  
**confuevisse**, & à Martiale si-  
gnificari, *libro xiv. Epigram-*  
*matum*, ubi ait, *sonat æs ther-*  
*marum*, sunt qui non sine erro-  
re affirment: siquidem verum  
tintinnabulum, ut infrà suo  
loco demonstrabitur, pulsari  
in thermis consuevit, ut homi-  
nes lavatum atque unctum  
convenirent.

CODONES à Græcis Tin-  
tinnabula nuncupari, nemo  
est qui nesciat. *Codones* autem  
dici, eo quod dum moventur  
sonum & quasi cantum edere  
solent; Græcâ, ut parest, ety-  
mologiâ, testantur Johannes  
Grammaticus in Commenta-  
riis.

riis in libros Aristotolis de Animâ & Suidas in Lexico suo, sive Collectaneis. tametsi à formâ & similitudine capitum plantæ papaveris, quæ *Codonum* voce à Græcis significantur, *cidores* dici tintinnabula, aliquis non sine ratione fortasse contendet.

NOLÆ etymologiam in obscuro positam esse, affirmare ausim; etsi nonnulli, ut Polydorus Virgilius de Inventoribus rerum, *lib. III. cap. xviii.* & alii tintinnabulum dici *Nolam* crediderint, à Nolâ Campaniæ urbe, cuius Episcopus Paulinus nolæ, sive campanæ inventor fuerit: quâ in re halucinantur. nam ante Paulinum Episcopum Nolanum, de quo Gen-

Gennadius in additamentis ad D. Hieronymi librum de Viris illustribus scribens nihil tale profert, *Nolæ mentionem fecit Quintilianus*, qui Domitiani Imperatoris ætate flouruit. Satis enim illud tritum est sermone proverbium, *In cubiculo nota.*

CAMPANAM quoque à Campaniæ urbe prænotatâ dictam, opinantur, ab ære scilicet Campano, vel quod in urbe Campaniæ primùm reperta sit. Sanè à Temesa, Campaniæ urbe, in quâ æris vis ingens extiterit, quidam ab Ovidio in Fastis libro v. *Temesæa æra* dici autumant. Ego quod *Campanæ* vocabulum in antiquis scriptoribus minimè legatur

gatur (apud Divum Hieronymum duntaxat, qui nova, & pa-  
rum Latina verba sæpius usur-  
pat, *Campanæ* mentionem in  
Regulâ sanctimonialium repe-  
rio) Gotthicam vocem, vel ab  
artifice Campanarum præcel-  
lente, cùm frequens nolarum,  
sive tintinnabulorum majo-  
rum usus in ecclesiis esse &  
cœnobiis cœpisset, *Campanam*  
dictam fuisse censuerim. Suum  
tamen hac in re cuique judi-  
cium liberum esto.

DODONÆOS *lebetes*, qui in  
proverbum migraverint, in  
Jovis Dodonæi templo, ubi  
fæterdotibus responsa daban-  
tur, sonora ex ære tintinnabula  
à quibusdam dici, & à simili-  
tudine lebetum sic vocitata,  
haud

10 Hieronymi Magii,

haudquaquam ignoramus : quibus calculum nostrum libenter adderemus, si veterum non ambiguis auctoritatibus niterentur. Verùm si non campanæ fuerint Lebetes illi, eos tamen campanis non omnino absimiles extitisse , credendum est; ut maximè sonori in proverbium asciti sint.

Illud postremò , quod ad Tintinnabuli varia nomina attinet, minimè est silentio involvendum , Franciscum Petrarcham, hominem suæ ætatis non indoctum omninò, in vernaculis suis cantionibus, campanas , Sqvillas appellasse , voce non quidem, ut ego arbitror, Italicâ Tuscâve, sed è Galliâ desumptâ.

Inde

Inde apud nostrates verbum,  
*Squillare.*

Sed de *Tintinnabuli* nomini-  
bus, hæc dixisse sufficiat. nunc  
ad reliqua pergamus.

Joannes Tortellius Areti-  
nus, Laurentii Vallæ ami-  
cus, cuius lexicon omnino  
non contemnendum legimus,  
quòd *Tintinnabuli*, sive *Cam-*  
*panæ frequentem* in auctori-  
bus mentionem non observa-  
set, campanas apud antiquos  
in usu fuisse negavit: in cuius  
sententiam & alii discesserunt.  
Verùm Galeotus Martius in  
eo, quem suprà citavimus, li-  
bro, *Tortellum eo nomine re-*  
*prehendit non injuriâ, tametsi*  
*miserum, & somniorum scripto-*  
*rem, exulcerato animo, & ini-*  
quo

12 *Hieronymi Magii,*

quo appelleat. Quanquam fortasse Tortellius sensit de campanæ, quem suâ ætate conspiciebat usu, scilicet in temporum turribus. Quod si verum sit, eum ego à Galeoti notâ defendendum puto: nam hujusmodi turres tintinnabulis sonoras veterum Christianorum vel etiam Ethnicorum templorum habuisse antiquitus, minimè legimus.

C A P. II.

*De primo Tintinnabuli inventore.*

UT rerum multarum, ita & Tintinnabuli inventorem ignorari sæculorum culpâ certo scimus. Plinius, qui in libris

libris naturalis historiæ *libro*  
vii. capite lv. *Tintinnabulo-*  
*rum*, quæ sepulchro Porsenæ  
Regis Tuscorum imminerent  
mentionem facit, & caput u-  
num satis prolixum rerum *in-*  
*ventoribus* dicavit, nihil om-  
nino de *Tintinnabuli* inven-  
tore protulit. Paulino Epis-  
copo Nolano, viro admodum  
sancto, *Tintinnabuli* inven-  
tum nonnulli adscribunt, quâ  
de re apud Polydorum Virgi-  
lium in libris de *inventoribus*  
rerum. Franciscus Petrarcha,  
& alii, ac novissimè Panuinius,  
Sabinianum Pontificem Ro-  
manum in eum, quem hodie  
cernimus, usum, templorum  
turribus campanas primum  
imposuisse testantur. Divus  
Hie-

Hieronymus in Regulâ sanctimonialium, campanellæ sonitu in unum convocari jubet sanctimoniales, & à *campanâ*, *campanilem*, seu potius *campanalem sonitum* appellat. Ego ut parvorum Tintinnabulorum usum in cœnobiis antiquitus extitisse affirmaverim, cum & in privatis nobiliorum ædibus, ut infra pâtebit, agnoscatur, ita audacter negaverim, Christianos homines campanis, altioribus templorum pinnis, aut turribus impositis, antiquioribus fæculis accersiri consueuisse; cum sub ista Christianæ fidei initia, ac succendentibus etiam temporibus, Christianum nomen esset invidiosum; adeò ut

ut *Judaica supersticio*, fides nostra in Pandectis à Jure-consulto Ethnico (quod Andreas Alciatus *In Parergis*. optimè aliquando adnotavit) appelleatur; ac oporteret clam in ecclesias convenire, non pulsatis tintinnabulis; quòd ea res amplioris securitatis, & auctoritatis non parùm præ se ferret. Sanè Plinius Cæcilius in epistolâ ad Trajanum Imperatorem, ubi de Christianis, & Christianorum conventu, & communione agit, cùm omnia, quæ facerent Christiani, exequatur diligentissimè, hujusmodi Tintinnabulorum nullam facit mentionem; alioqui, si fuissent in usu, cùm res esset momenti non parvi, silentio

16 *Hieronymi Magii,*

silentio non transmissurus.  
**Q**uamobrem existimaverim  
tunc Christianos editis locis  
turribusque Tintinnabula im-  
potuisse, atque suspendisse,  
cum Ethnicorum principum  
odia jam satis refrixissent, ac  
piorum Ecclesia caput Marty-  
rum sanctorum cruore non  
tam foedatum quam exorna-  
tum extollere cœpisset.

C A P. III.

*De majoribus, publicisque  
antiquorum Tintin-  
nabulis.*

**N**E MINI, qui in humanio-  
ribus litteris vel parum  
fuerit versatus, obscurum esse  
debet, antiquos non solum  
minora,

minora, sed etiam majora tintinnabula usurpasse. Notum satis est illud \* Martialis,

— *Sonat æsthermarum, ponite pilam.*

*Virgine vis sola lotus abire domum?*

Quanquam sunt qui illud æs ad clypeum æreum referant, qui cathenâ pendebat ex orbiculari fenestrâ fornicis Laco-nici, per cuius deductionem, ac reductionem, nunc augebatur, nunc imminuebatur calor; de quo clypeo mentionem facit Vitruvius. In Laco-nico tamen Pisano, qui integer adhuc è maximis thermis ad portam, qua itur Lucam,

\* *Redde pilam, sonat æsthermarum, ludere pergiss?*

spectatur , & de quo Robor-  
tellus meus libellum edidit  
(ut hoc obiter adnotemus)  
non ut in ceteris , orbicularis  
fenestra in fornicis medio spe-  
ctatur , sed multilatera , & aliæ  
multæ circum quadrilateræ  
alterâ parte longiores , quas ,  
pendente è media clypeo , spe-  
culari lapide , aut velo , aliâve  
materiâ , quæ lucem transmit-  
teret , claudi consuevisse , ne  
vapor statim efflueret , facile  
crediderim . Nunc ad rem  
nostram redeamus . Qui id de  
clypeo illo existimant , ma-  
gno , ut mihi videtur , in er-  
rore versantur ; quod unius  
duntaxat scriptoris auctorita-  
te apertum facio . Siquidem  
Ælius Spartianus ait , nescio  
quem

quem Romanum Imperato-  
rem è thermis *tintinnabulum*  
amovisse. Si verò aliquis *tin-  
tinnabulum* pro clypeo illo  
accipi contendat, erroris fa-  
cile convinci poterit. Nam  
amoto è thermis, id est Laconico,  
æreo clypeo, haud satis  
intelligo, quo pacto sudatorii  
ratio constaret. Adhæc si cly-  
peum pulsari consueuisse di-  
camus, ut hoc pacto lavaturi  
convocarentur, non satis per-  
spicio, quām commodè id fieri  
posset, illo ex alto satis loco  
propendente. Altum namque  
Laconici Pisani fornicem esse  
unusquisque videre potest: lo-  
cus enim Robortelli curâ, dum  
humaniores litteras in Pisano  
gymnasio profiteretur, optimè

C 2 fuit

20 Hieronymi Magii,

fuit repurgatus. Quod si è superiore fornicis parte malleo, vel aliâ prædurâ materiâ clypeum tundi solitum, suspicetur aliquis; & hic videat quām rectè id, & sine cathenæ dedu-  
ctione, ut calor exhalaret, ac sudatorium nonnihil refrigeres-  
ceret, fieri potuerit. Accedat  
eo, quod cùm thermarum con-  
structio latè pateret, usque  
ad eò ut Romæ thermæ Dio-  
cletianæ, quantum hodie è  
ruinis cognoscere licet, mu-  
nicipii magnitudinem facile  
sequarent, sonus ex ictu clypei  
intra fornicem illum, clau-  
sumque locum editus, ad om-  
nes, qui in thermis agerent,  
& lavaturi convenissent, per-  
vadere non poterat. Nec ad  
rem

rem pertinet, si quis dicat, locum, in quo lavaturi pilâ prius exercebantur, fuisse Laconico proximum, ut vel à surdastris clypei sonus audiretur: nam respondeo, tinnitus æris thermarum, hoc est tintinnabuli, quo de agimus, procul etiam audiri, & percipi consuevisse, ut non solùm qui pilâ exercentur, & in thermas convenissent, sed & qui à thermis longè abeſſent convocarentur lavatum: quod Ciceronis auctoritate probatur; si quidem in Tusculanis (nisi me fallit in loci indicio memoria) ait, *similatque increpuit set, id est* (ut ego interpretor) thermarum Tintinnabulum tinnitus edidisset, *Romanos,*

22 *Hieronymi Magii,*  
*relictis Philosophis & præcep-*  
*toribus, unctum (nam qui*  
*lavissent, ungebantur) ire so-*  
*litos. Sed in re apertâ testibus*  
*utor non necessariis.*

Tintinnabulorum majorum non solum in thermis, sed etiam in aliis urbium partibus, si non apud Romanos, saltem apud alias nationes nonnullas, locum fuisse ad convocandos in mercatum homines, ex Strabone libro xiv. *Geographiæ* cognoscere est: rem enim non fictam, sed factam Jassi refert, scitu dignam, Citharœdum canentem eā in urbe, homines non paucos circumstetisse; eos è re natâ universos, præter surdastrum, statim discessisse; ci-  
tha-

tharœdum ad surdastrum conversum , illi gratias agere cœpisse eo nomine, quod cùm ad tintinnabuli sonum reliqui omnes eum reliquissent , solus ille auditor perstisset ; quâ re surdaſter cognitâ , vale homini dixerit, quòd sonus ille jam vendi pisces indicaret. Credere autem par est , tintinnabulum illud Jassicum , & magnum fuisse , & edito loco suspensum , ut ab omnibus civibus illius posset sonitus audiri. Alia de majoribus, publicisque tintinnabulis à me hactenus non sunt observata , quamobrem hic caput re-primo.

## C A P. IV.

*De Tintinnabulis Sepulchri  
Porsenæ Tuscorum  
Regis.*

MARCUS ille Varro, qui quòd multa mandaverit litteris, Polygraphotatos dicitus est, Porsenæ antiqui Tuscorum Regis sepulchrum graphicè appinxit, ut perspicere licet apud Plinium in libris naturalis historiæ: nam Varronis opera, præter pauca, quæ ad ætatem nostram pervenerunt, desiderantur. Huic sepulchro, quantum memoriâ assequi possum (nam libris omnino, ut patet, destitutus sum) quatuor erant pyramides

des adstructæ, supremæ pyramidum partes cathanis jungebantur, à quibus tintinnabula non pauca propendebant, quæ cùm flarent venti, concussa, sonitum , qui longè pervagaretur, edebant. Hæc autem tintinnabula non admodum magna fuisse, haud ægrè crediderim, siquidem maxima, aut saltem mediocria ventis agitari, aut permoveri nequeunt, ut tam manifestum est, quàm quod manifestissimum.

## C A P. V.

*Quis olim usus esset Tintinna-  
buli in privatis Romano-  
rum ædibus.*

**L**UCIANUS Samosatensis agens de his, quæ mercede conductis viris doctis Romæ solerent usu venire, inter cetera, quæ doctè admodum atque eleganter conscripsit, ait *in ditiorum ædibus familiam tintinnabuli sono excitari con-  
sueisse*. Ædes enim cùm amplissimas haberent Romani, cuius rei nos adhuc admonent ruinæ; & seryorum greges, quod hodie Turcæ faciunt, possiderent, domique, ut villi-

cos.

ces omittamus, alerent ; tintinnabulis ( quemadmodum in monachorum cœnobiis est in more positum ) familiam mane excitandam curare aliâ re ullâ, quâm tintinnabuli concrepatione, & tinnitus, non potuisse commodè, est omnino manifestum. Hodiè etiam Romæ videmus ampliores, quâm par sit purpuratorum Flaminum sive Cardinalium, & principum familias pransum, cœnatumque tintinnabulis in superioribus ædium partibus suspensis, convocari; adeò ut non solum qui domi sunt, sed etiam qui domo absunt sonum audiant, & sui quisque dome stici tintinnabuli tinnitus,

28 *Hieronymi Magii,*  
multis personantibus, agno-  
scat.

C A P. VI.

*An apud antiquos horæ, ut  
hodie, tintinnabuli sono di-  
stinguerentur. Luciani locus  
antea obscurus, declaratus.*


**A**DMONENT me superiora,  
Aut Luciani locum antea  
obscurissimum, apertum, per-  
spicuumque reddam. Existi-  
mant nonnulli, apud anti-  
quos, diei, noctisque horas  
tintinnabuli majoris sono di-  
stingui & significari confuevi-  
se, eâ solùm auctoritate inni-  
xi, quòd Lucianus litteris pro-  
diderit, *horas per aquam & so-*  
*nitum suâ ætate demonstratas.*  
in

in quorum ego aliquando sententiam pedibus discessi. Verum postea factum est ut aliud sentirem, quod esset absque dubio probabilius. Primum enim coepi mecum ad dubitare, quod Plinius, qui res hujusmodi multas exequitur, & Vitruvius, descriptis antiquorum solariis, id est horologiis, quae in sole, umbrâ horas (quod etiam hodie fieri videmus) distinguebant, ac transeuntibus demonstrabant, nihil omnino de sonoro horologio loquantur, nullaque ejusmodi arte non vulgari instrumenti fabrefacti mentio apud antiquos scriptores reperiatur. Mox accidit ut Joannes Nicolaus Justus, affinis  
meus,

30 *Hieronymi Magii,*

meus, ac vir doctus, libri ve-  
teris mihi copiam faceret, in  
quo, præter alia multa instru-  
menta horologium, quod per  
aquam & sonitum constaret,  
Luciani horologio non absi-  
mile, graphicè delineatum:  
cujus formam utcunque hic  
apponendam esse duxi, ut  
quisque Luciani locum nullo  
negocio cognoscatur.

A Tintinnabulum. B Axis,  
cui alligatur funis, à quo  
pondus aliquod pendeat.  
C Pondus. G Lignum in  
quo pondus quiescit. D Un-  
cus continens pondus ad tem-  
pus; ne dilabatur. F Aqua  
paulatim subsidens. E Orbis  
è subere, continens ferrum ad-  
fixum,



fixum, horarum indicem, cuius pondere cum aqua est parvo foramine vitreæ clepshydræ dilapsa paulatim, subsederit, uncus D funiculo H designato retrahitur: quare fit ut lignum G declinet, & eo declinante, pondereque dilabente, axis B volvatur, & axi A volvendi causam prebeat, unde tintinnabulum concutiatur, & increpet. Jam vides Luciani horologium clepshydram, & tintinnabulo constans.

C A P. VII.

*Deæ Syriæ Sacerdotem uti consueuisse Tintinnabulo.*

**A**NTE quām Lucianum dimicimus, illud nolim lectorēm ignorare, Syriæ Deæ sacerdotem, ut idem auctor litteris prodidit, tintinnabulo uti consueville. Ait namque, *ante Syriæ Deæ templum phallos duos miræ alitudinis fuisse statutos: in hos sacerdotem eâ solitum arte conscendere, quâ Syri palmas altiores, nimirum fune caudici advoluto (duplum hunc esse oportuit, ut dum in altero pedes ejus, qui conscendere vellet, consisterent,*

34 *Hieronymi Magii,*

rent, alter altius promovere-  
tur) ac paulatim ad superiores  
partes protracto. cùm verò ad  
summas phalli partes perve-  
nisset, orare, sacra facere, ac  
in clamare consuevisse, atque  
interim tintinnabulo sonum ede-  
re, ut verbis tinnitus sociare-  
tur. Æs namque in sacris non  
modicam vim habere, existi-  
mabat antiquitas. Sunt præ-  
terea qui putent, Deæ ejus-  
dem sacerdotes, qui stipem  
non modicam passim emendi-  
cantes, sive potius corraden-  
tes, colligerent (hos Cicero  
in libris de legibus, *domos ex-  
haurire & urbem superstitione  
implere dicit*) tintinnabula u-  
surpasse; visiturque inter anti-  
quorum statuas, Romæ opi-  
nor,

nor, sacerdos hujusmodi cum pera, & tintinnabulo. More non absimili apud Italos nostros, qui Divi Antonii fratres nuncupantur, passim eleëmosynas colligentes, statim atque in pagos, & vicinias pervenerint, tintinnabula movent, quod tinnitus Religionem quandam præse ferat (etenim Divum Antonium cum tintinnabulo appendi videmus) & eos, qui aliquid daturi sint, accersat. Eodem, cum iis, qui benignè fecerunt, piè salutem æternam à Deo expostulant, identidem personant. **Quod** & Isiacos fecisse arbitror.

\* \*

Quæ modo dicta sunt à Magio nostro de Syriæ Deæ sacerdotibus, mirum in modum convenire mihi mihi videntur cum iis, quæ de certis quibusdam Religiosis apud Turcas narrat Nicolaus Nicolai, in libris *de moribus diversarum gentium*; siquidem refert inter Saracenos inveniri genus quoddam Religiosorum, vel potius Hypocitarum, quibus volupte sit, vitam aliquo modo solitariam agere inter feras, ut pote Lupos, Cervos, Ursos, Aquilas, & istius generis alia animalia, quæ quidem ideo domi suæ alunt, ut viri sanctitate prædicti censeantur, re ipsâ tamen ut in solitudine quam minimè soli sint, hisce enim animalibus domitis, tempus & ocium fallunt. Cum autem vivant ex eo quod ex prætereuntium liberalitate iis subministratur, quoties parcius sibi eleemosynas offerri vident, latebris relictis civitates petunt, Ursum vel Cervum manu ducentes, ex quorum collo pendeat Tintinnabulum quo populum, aut eos qui aliquid daturi sint convocent, in hanc formam.



## C A P. VIII.

*Bruta quoque tintinnabuli ab  
usu non excludi.*

Non solum autem homines, sed etiam bruta, quæ sub hominis imperio degerent (hæc *pecudum* nomine appellari, Laurentius Valla in *Elegantiis testatum reliquit*) hominis tamen arte, olim tintinnabulis personabant. Strabo auctor est, pecudibus fuisse adalligata tintinnabula, ut tintinatu noxiæ feræ ab ipsis arcentur. Hodie quoque pastores, more antiquo perdurante, ovium, caprarum, suum, bouum, equorumque collo tintinnabu-

nabula aptare solent, non ad terrendas feras (nam & pecora, quæ tintinnabula gestant, à feris impeti, & necari experimenta non semel docuerunt) sed ad deprehendendum quibus in locis nemorum, montium, valliumque oberrent, atque hac ratione longæ inquisitionis labor absit. Præterea existimant, tintinnabuli sono pecora, perinde ac tibiæ, gaudere & pinguescere: quamquam ea quod non sint harmonicè composita, harmoniam oblectari, negant Philosophi; sed quām verè, ipsi viderint. Evidem in mari è navi sèpius perspexi sibilo Delphinos à nautis allici, & quasi præ gaudio exultare, atque detineri.

tineri. Pastorum quoque fistulis cervos fisti, & quâdam quasi dulcedine capi, cognitum est ; possumque ego testari, me Anglaræ cicurem carduelem spe-  
tasse non semel, qui, fidibus canente citharœdo, mirum in modum exultaret, & per mille vocum discrimina (ut Ovidii verbis utar) cantum ederet ; citharœdo quiescente, & ille quoque quiesceret, ac fileret : ut quisque facile intelligere posset, aviculam à vi musicâ in hominis morem permoveri.

Olim oblectamenti, atque ornatûs gratiâ muliones, atque agafones equis, mulisque tintinnabula alligabant, quod &c hodie passim fieri videntur. Quamobrem Lucianum



42 *Hieronymi Magii,*  
num primum, mox Apulejum  
afinis illis suis egregiis tintin-  
nabula suspendisse videmus.  
Romæ quoque in antiquis  
marmoribus, & sculpturis,  
visuntur elephanti, è quo-  
rum collo propendent tintin-  
nabula; quam rem & in  
vetusto numismate me olim  
observasse memini hac for-  
mâ.

Hodie in multiplici tintin-  
nabulorum usu non solùm  
quadrupedibus sed etiam avi-  
bus tintinnabula alligantur:  
siquidem hieracarii, quos *Ac-  
cipitriarios* Latinè vocamus,  
aquilis, maioribus, minoribus-  
que accipitribus tintinnabu-  
la alii ærea, alii argentea cori-  
aceis compedibus assunt eā  
de

de causâ, ut cùm evolaverint,  
atque inter arbores frutices-  
que confederint, nec veniant  
in conspectum, facile possint  
inveniri.

C A P. IX.

*De Tintinnabulis Hebræi  
Sacerdotis.*

NON sine piaculo sacer-  
dotis Hebræi tintinnabu-  
la, cum omnia, vel minima  
quæque antiquorum perse-  
quamur, hic omitti posse vi-  
dentur. Quamobrem & de  
his mentionem faciendam  
esse duximus, præsertim  
cùm & Plutarchus in Sym-  
posiacis suis quæstionibus,



tametsi à fide nostrâ multum alienus, de his scriptum aliquid reliquerit. Neminem, qui vel à limine \*sacras litteras salutaverit, latet, Hebræorum multæ, ut par erat, existimationis sacerdotem, in extremâ vestimenti orâ, tintinnabula multa sonora, mespila, ac mala punica identidem sonora, utpote quæ metallica escent, & vacua, pilulasque ferreas, aut æreas ad edendum tinnitus continerent introrsum, cùm in sancta sanctorum ingrederetur, gestare consueuisse, ut dum graderetur, sonitus multiplex ab

\**Exod. 39. Josephus lib. 3. antiqu. Origenes in Exod. cap. 35. Polyd. Virg. lib. VI. cap. XII.*

46 *Hieronymi Magii,*  
his, qui in templum conve-  
nissent, facile posset audiri.  
**Quorum symbolicam, atque**  
arcanam significationem Di-  
vus Hieronymus pluribus do-  
cet, referens ea ad elementa,  
& tonitrua. cuius verba, quòd  
libris in ergastulo omnino  
(quod alias diximus) caream,  
non adscribo; quod in multis  
aliis auctorum, quæ à nobis  
advocantur, testimoniis fa-  
cere cogimur, ut etiam eâ de  
de causâ veniam ab humano  
lectore impetraturi simus, si  
sæpius, quam in aliis quæ in  
vulgus edidimus scriptioni-  
bus, hîc memoriæ vitio erra-  
verimus.

C A P.

C A P. X.

*Quis minorum Tintinnabulorum publicè olim apud antiquos usus esset.*

TINTINNABULORUM majorum quis usus esset publicè, apud antiquos, satis, opinor, supra fuit à nobis demonstratum. Nunc est de minoribus agendum: quanquam & huc spectant Hebraica tintinnabula, quorum superiore capite facta est mentio. Parva namque erant, utpote quæ vestis oræ, sive limbo assuerentur ab eâ pendere possent, & à sacerdote non magno labore gestarentur: ac non solùm parva,

D 4.                    sed

48 *Hieronymi Magii,*  
sed publicum in usum, ut pa-  
tet, ascita.

Aristophanes in Avibus, u-  
bi de ridiculâ illâ civitate agit,  
jubet Codonophorum , hoc  
est, *tintinnabuli gestatorem*,  
circumcurrere: inquit enim κω-  
δωνοφορῶν περίτεχς. ad quæ ver-  
ba Scholia stes Græcus, vir do-  
ctus , scriptum reliquit, eos,  
qui circumibant urbem , &  
phylacas, id est *excubias ac vi-  
giles*, gestare consueisse tin-  
tinnabula , ut num vigiles ve-  
rè vigiles essent, deprehendere  
possent, quod ipsum & ab Hes-  
ychio V. Κωδωνοφορῶν scriptum  
me Famnochustæ Cypri supe-  
riore anno legisse memini. De-  
prehendendi verò modus tin-  
tinnabulo quis esset, non pro-  
dunt.

dunt. Quamquam conjecturæ locus est, Codonophorum circumcurrentem (eos hodie, qui id munericis obeunt, *Rondam* vocari vulgo, satis est notum) tintinnabulo personare solitum; cui si non statim vigiles occurrisserent, vel assurrexissent, eos minimè vigilasse, sed tinnituè somno excitatos fuisse, apertum erat. Morem hunc tintinnabulo circumeundi vigilias in urbibus, apud antiquos Græcos dunt taxat extitisse censuerim; siquidem maximè antiquum, & antiquæ comœdiæ scriptorem Aristophanem fuisse scimus; & nihil tale historici, sive Græcos sive Latinos quæras, in urbibus factum esse dicunt. Romanos,

50 *Hieronymi Magii*,  
dum vigiles mutarent, buc-  
cinâ canere, non tintinnabu-  
lo uti consuevisse, constat;  
quod \* Lucanus significat,  
dum ait:

*Et jam quarta canit ven-  
turam buccina lucem.*

Germani verò nostrâ æta-  
te, cùm vigiles mutant, tym-  
panum pulsant, & tibiâ ca-  
nunt.

Præter Codonophoros, qui  
phylacas circumirent, erant &  
alii Codonophori, qui atrati  
funus præcedebant, de quibus  
Suidas, & post Suidam Guliel-  
mus Budæus. Funeri autem  
adhiberi consuevisse arbitror,  
tum ut ad spectandam fune-  
brem pompam homines ac-

\* *Propertius.*

cerferentur, tum ut Flaminem Dialem admonerent funeris, ne ille ex improviso funeri occurreret, & funebris tibiis auditis pollueretur. Funebres namque tibias Flamini Diali audire non licuit, quamvis funus exequi poterat; ut est ab Aulo Gellio, *libro x. Noct. Attic. capito xv.* obser-  
vatum.

C A P. XI.

*De Tintinnabulo eorum, qui ad supplicium ducerentur, & triumphantis Imperatoris.*

ZONARAS *libro ii,* Græ-  
cus historicus non omnino  
contemnendus, (cujus scripta

D 6 supe-

superioribus annis carie obſita , in Græciâ reperta sunt) auctoreſt , consueviſſe , è ſon- tium collo tintinnabulum ſu- ſpendi dum ad ſupplicium du- cerentur , ne ex eorum impro- viſo contactu aliquis pollue- tur : ſiquidem tintinnabuli ſo- no audito eos vitare unicui- que integrum fuit . Ex hac conſuetudine factum eſt , ſi ei- dem Zonaræ credimus , ut triumphantis Imperatoris cur- rui tintinnabulum cum ſcuti- ca , ſive flagro adalligaretur , quibus instrumentis , quorum uſus plectendis hominibus eſ- ſet , in magnæ felicitatis cumu- lo Imperator admoneretur , ne plus quam par eſſet efferri ac ſuperbire vellet , ſed hu-

manæ

manæ miseriæ recordaretur: quam rem à nullo alio proditam scriptore Græco, aut Latino, mirari subit. Sanè Plutarchus in Scipione Æmiliano omnem triumphi pompam optimè explicans, nihil tale scriptum reliquit, ut suspicer quod est à Zonarâ litteris mandatum, non antiquitus, sed sub recentioribus Imperatoribus fieri consueuisse, nimirum temporibus seculisve Zonaræ proximis. Etsi Obertus Gifanius vir eruditissimus, & amicus mihi longè carissimus, eâ de causâ hac in re fidem adhiberi posse Zonaræ mihi Venetiis aliquando affirmaverit, quòd Cornelius Tacitus Zonaræ fidem adiuvet in eo,  
quod

quod de verbis Imperatori triumphantì à nescio quo inclamari solitis, scribit, scilicet ne gaudio nimio efferretur: viderique Zonaram, recentem præ Cornelio Historicum, ex antiquo aliquo scriptore, quæ supra retulimus, desumpsisse. Quod ad fontes, qui ad supplicium cum tintinnabulo ducerentur, attinet, haudquaquam est ignorandum, Plautum \* parte aliquâ Zonarae ad stipulari, dum quodam loco egressuri extra portam Metiam servicum patibulo, de laniis duobus, & Tintinnabulis, meminit. si quidem apud Plautum legendum videtur, *cum tintinna-*


\* In Pseudolo.

*bulis,*

*bulis*, non autem, *cum tintinnaculis*, ut habent exemplaria vulgata: qui locus malè à quibusdam explicatur, dum *tintinnacula* pro virgis accipiunt.

Quamquam *tintinnacula* pro *Tintinnabulis* antiquà voce à Plauto dici suspicari possimus.

Figu-



Figuram ejus, qui ad supplicium duceretur cum tintinnabulo, apponere libuit, ut humanus lector rem melius percipiat, & veluti præsens, antiquitatem aliquâ cum voluptate intueri, & quasi contrectare possit.

C A P. XII.

*De Antiquorum Tympano,  
quod tintinnabula multa contineret.*

UT nihil antiquitatis penitus ignoretur, sciendum est, antiquitus cognitum esse TYMPANORUM usum, ut apud Strabonem atque alios meadnotasse memini. Suidas quoque si non admodum antiquus au-

58 *Hieronymi Magii,*

au<sup>r</sup>tor, antiquitatum tamen  
collector non aspernandus,  
tympana usurpat<sup>e</sup> antiquos  
demonstrat , describitque  
tympanum quoddam, cui in-  
trorsum multa appensa essent  
tintinnabula, ut dum pulsare-  
tur, mirum ederet sonum.  
crepitum namque tympani , &  
quasi boatu graviore , acuto  
tintinnabulorum tinnitus, ac  
concentui permisto, mirus so-  
nus edebatur. Huic non absi-  
mile tympanum ratione musi-  
ca fabrefactum, se aliquando  
**Venetiis conspexisse**, mihi  
narravit Josephus Zarlinus  
Clodianus, nostræ ætatis mu-  
sicorum facilè princeps, & a-  
amicus mihi optimus , atque  
gratissimus.

Visuntur quoque antiquorum **CROTAL A** marmore expressa, quæ tintinnabula affixa continent. Turcarum Crotala superioribus diebus Galatæ Constantinopoleos vidimus, quæ è bractea ærea orbes continerent tintinnabulorum vicem exhibentes; sonum non ingratum edentia. Similia etiam cum tintinnabulis sunt nostris cognita. Vidi non semel in patriâ Nicolaum Lecium tonforem, ac scurram crotali hujusmodi sonum ita citharæ sòciantem, ut musicus concentus non ingratus edetur. Turcæ autem tibiarum sonum crotalis jungunt, & humanis vocibus, meherculè optimè.

## C A P. XIII.


*De superiorum seculorum ca-  
strensi Campanâ. Accursii  
locus declaratus.*

TINTINNABULI castrensis  
me sonus à Tympanis, &  
Crotalis avocat. Est igitur  
sciendum, superioribus secu-  
lis, nec admodum vetustis  
temporibus exercituum Im-  
peratores, jam tintinnabulo-  
rum majorum in Christiana  
templa usu recepto, in castris,  
quasi in quâdam civitate am-  
bulatoria, & turricula campa-  
naria è ligno identidem ambu-  
latoria uti consuevisse, è quâ  
tintinnabulum admodum ma-  
gnum penderet, *Carrocium*  
voce

voce Italâ, quasi *currum magnum* dicas, appellabant, currus enim altioris formam parte aliquâ exprimebat. Positis castris, prope Imperatoris tentorium Carrocium locabant, & princeps signum militare mutum in supremâ parte figebant. Sole occidente, & mane ante lucem, ut fit in Christianorum templis, tintinnabulum miles aliquis pulsabat, DEUM Opt. Maximum oratione Dominicâ, & Deiparam Virginem salutatione Angelicâ venerandi signum perspicuum præbens. Cùm bellicum cane-re oporteret, eodem tintinna-bulo milites ad arma vocabantur. Cùm in hostem progre-diendum acieque confligen-dum

dum esset, Carrocium in mediâ acie cum signo prænotato,  
& tintinnabulo sistebant, &  
tanquam Imperatorem illud  
circumvallatum custodibus,  
ab hoste, ne caperetur, tue-  
bantur; tantumque erat tu-  
endi ac defendendi studium,  
tantus militum ardor, ut quem  
locum quisque vivens occu-  
passet, eum amissâ animâ, cor-  
pore tegeret. Maximi enim  
dedecoris loco Carrocium a-  
mississe, habebatur. Quamob-  
rem Accursius, qui multos  
annos Bononiæ versatus est,  
in quodam suo glossemate ait,  
*regulæ* cuidam *inhærendum*,  
*tanquam* solent *Bononienses*  
*Carrocio*; quæ verba mox a-  
pud nostros Jureconsultos in  
pro-

proverbium venerunt, cuius meminit Alciatus in libris de Verborum significatione. De hoc Carrocio scriptum repertus in Chronicis Villanii Florentini, qui Florentinorum Carrocium à Senensibus captum fuisse, memoriæ prodidit, &c, si rectè memini, *Martinozum* vocat. An aliæ nationes, præter Italos, hujusmodi curru in castris uterentur, mihi adhuc est incognitum. Nunc Carrocii figuram cum tintinnabulo & vexillo delineemus.



C A P. X I V.

*De virtute tinnitus: æris & Tintinnabulorum, juxta quorundam quamvis non ab omnibus approbatam opinionem.*

**A**Eris vim esse non modicam, putavit antiquitas. Ideo sacerdotes æreis cultris utebantur, ut est à me apud Nonium Marcellum atque apud alios observatum. Eâ etiam de causâ Ovidius in Metamorphosi Medeæ falcem æneam tribuit. Idem in Fastis, æris tinnitu inferorum umbras in sacris Lemuralibus ab anu expelli dixit. Alexander quoque Aphrodisæus in suis Problema-

66 *Hieronymi Magii,*

matibus, ait æris sono malos spiritus depelli, eamque ob rem in lunæ defectu æra moveri, fuisse in more positum. **Livius** etiam, **Ovidius**, <sup>a</sup> **Lu-**  
**canus**, atque alii deficiente, & quasi laborante lunâ æra concuti, scriptum reliquere, quod & à <sup>b</sup> **Cœlio Rhodigino** in libris Antiquarum lectionum fuit adnotatum. Est etiam à **Polydoro Virgilio** in libris de inventoribus rerum <sup>c</sup> litteris mandatum, **Tintinnabulorum**, sive **Campanarum** sono dæmones fugari: ideo cum ventorum, aut grandinis injuriam timent Christiani (ab his enim dæmonum operâ vineis, arboribus, frugibusque calamitas

<sup>a</sup> *Fastor.* l. v. <sup>b</sup> *lib.* XIX. c. x. <sup>c</sup> *lib.* VI. c. 12.

mitas invehitur ) campanas  
pulsari jubent. Sanè Divus  
Augustinus à malis spiritibus  
dæmonibusque tempestates  
cieri affirmat. Cur autem cam-  
panarum tinnitu dæmones  
terreantur, longiusque fugen-  
tur, haudquaquam est in ob-  
scuro positum. sunt enim cam-  
panæ divino cultui sacratæ, &  
sacerdotis benedictione augu-  
stæ religiosæque. Quinetiam  
cū benedictione ac religione,  
recentes quasi lustrica die, no-  
mina accipere solent. Cùm es-  
sem Fammochustæ, vidi in Di-  
vi Nicolai téplo cāpanas duas  
non vulgaris magnitudinis,  
quas quidā Episcopus, nomine  
Gulielmus, faciendas curavit,  
& à nomine suo *Gulielminas* ap-

68 *Hieronimi Magii,*  
pellari voluit; sic enim litteris  
in ambabus testatum reliquit.  
**C**ampanæ sono D e o Opt.  
Max. honorem exhiberi, & orationes  
quasi in altum preces  
que sustolli, efferrique Chri-  
stiani opinantur. memini quoque  
me aliquando legere in  
**G**lossâ, quam ordinariam the-  
ologi vocant, ad Hymnos Da-  
vidis, in parentalibus pulsari  
campanam, ut preces, quæ  
pro mortuis funduntur ad  
Deum, campanæ sono, tan-  
quam flatu quodam deve-  
hantur, & quasi manu du-  
cantur.

Illud non est omittendum,  
quod ad ea, quæ de tempe-  
statibus suprà dicebamus, per-  
tinet, Philosophos, qui sæpè  
à

à Christianâ fide ad naturæ rationes divertunt, existimare, campanarum sono tempestatum, ventorum, grandinumque depelli injuriam, quod tinnitus ille æris aërem maximè diverberet, scindat, & confringat; quod apertum sit eo, quod usuvenit apibus, cùm facto examine, avolare cœperint; quandoquidem non magno æris tinnitus subsidere coguntur, aëre nimirum discesso, distractoque, & volatum ægrè recipiente. Quanquam existimabit fortasse aliquis, id apibus, moto aëre, usuvenire, quod tinnitus alliciantur. quod an verum sit, aliis dijudicandum relinquo.

Paulus Grillandus non infimæ classis Jureconsultus, in libro de Strigibus siue Lamiis historiam refert planè admiratione dignam. Ait enim mulierem quandam, quæ, dæmonie devehente, in ludos illos nocturnos Dianæ, sive Herodiadis, profecta, appetente iam luce, domum revertebatur, in agro repentè fuisse à dæmonie nudam derelictam, quod antelucanus campanæ tinnitus esset ab illo exauditus. eam verò mulierem ab homine quodam fuisse repertam domumque in suam perductam, id sibi verè contigisse, affirmare ausam. Quanquam credere par istum illum & redditum ad Dianæ vel Herodiadis

diadis ludos , dæmonis esse illusiones , qui somno sopitis mulierculis , in earum mentes illabatur , & ea omnia secundum quietem ipsis appingat , quæ mox à somno , in quo demersæ jacebant , excitatis fuisse vera videantur . Sed de Strigibus sive Lamijs an verè in ludos proficiscantur , & in varias feras mutantur , consulas Ioannis Wieri Graviani libros de Præstigiis Dæmonum .

## C A P. XV.

*Tintinnabulis, Turcarum, &  
Græcorum templacarere. De  
Symando & Agiosydiro.*

CUM æris vim non modi-  
cam existere antiqui opi-  
narentur, æreorumque Tin-  
tinnabulorum usus sit longè  
utilissimus, cùm ad cives sta-  
tim, quamvis procul per ur-  
bem dissitos, in unum con-  
gregandos, tum ad singulas  
diei, noctisque horas indican-  
das: mirum fortasse alicui vi-  
debitur Turcarum, & Græco-  
rum templo his careant. Sane  
Turcæ juxta templo quemad-  
modum & nos confuevimus,  
altas turres multilateras con-  
struunt;

struunt ; quarum fastigia in pyramides exeunt ligneas, ut in pluribus, plumbeis laminis coniectas, ad imbrium vim arcendam : ut si procul spe-  
ctes, turres campanarias Christianorum esse credas ; & his urbes exornari affimes. Non longè à pyramidis initio ita constructæ sunt, ut circumire quis facile possit. huc scalæ cochlide, quemadmodum Romæ in Trajani columnam ( habent hæ turres & cum hac non parvam similitudinem : cùm non latæ sed succinctæ sint, & tenues, ut mirum sit cur non à ventis aliquando dejiciantur ) ascenditur. Pyramide nonnullas carere vidi-  
mus, ut Rhodo, & Coo in-

E 5 fula.

fula. Ostiolâ in scalæ summitate, quibus egressus est, in circulare podium omnia in orientem solem spectare observavimus. Ex his turribus podiis que sacerdotes statim diei, & noctis horis, omnipotentis Dei nomen voce quasi Stentoriâ inclamant, hominesque ad tempora, ut nos campanis solemnus, convocant.

Græc i verò campanarmu loco SYMANDRUM habent, & AGIOSYDIRUM. *Sy mandrum* Græcâ etymologiâ à conyocandis hominibus, seu potius coadunandis, appellant: <sup>a</sup> *Agiosydirum*, quod sacrum sit ferrum illud, de quo infra dicturi sumus. *Sy mandri*

<sup>a</sup> Scrib. ergo potius *Hagiosiderum*.

*mandri* usum inde mihi sacerdores nonnulli Fammo-chustani invectum in ecclesias dixerunt, quòd Noha in arcā instrumentum non absimile ad convocanda bruta usurpa-verit. Verum id sit nec ne, prorsus ignoro. Si coniecturas sequi detur, existimave- rim factum esse, ut Græci *Sy-mandro* & *Agiosydiro* uteren-tur, quia ab initio constructis monachorum sacerdotumq; cœnobiis, Ethnicisque Prin-cipibus Græciæ imperium ob-tinentibus, æreis tintinnabu-lis, quod eorum sonus & ni-miæ securitatis, & auctoritatis indicium esset, abstinuisse, & *Symandri* usum excogitasse, quem succendentia Christia-

norum Principum tempora non excusserunt. quandoquidem ex consuetudine voluptatem conciliari scimus, & Græci non facilè à majorum traditionibus, majoribusque recedunt. Quamobrem campanis novissimè in multa Græcorum templa invectis ( de templis, quæ in orbe Christiano sunt, loquor, nam reliqua campanis Turcæ carere jubent ) & *Symandris* locus est.


*Symandrum* autem esse scias ligneam tabulam latitudine digitorum plus minus quinque, crassitudine sesquidigitum, longitudine ferè pedum quatuordecim. non è quolibet ligno fit, sed è præduro, & quantum

tum lignea materia patitur, sonoro. Capita foramina habent nonnulla non magna admodum, sed pennæ anserinæ, calamove scriptorio pervia. In medio tenuem funiculum continet. Qui populum ad templum est convocaturus, & Campanarii (ut ita cum vulgo dicam) nocturnis & antelucanis horis munus obiturus, ante fores templi, vel edito loco tabulam prenotatam malleis duobus ligneis pulsat, non sine aliquâ ratione musicâ, atque interim in gyrum sensim volvitur, quâ re fit ut gravior cum non ingratâ raucedine sonus emittatur. Tabula non quâ latior, sed quâ arctior est, quasi libræ scapus, in sinistro

Cam-


Campanarii, & pulsantis humero quiescit; ac ne pulsando dilabatur, funiculo praedito mordicus apprehenso retinetur; manibus enim non licet, tum quod, ea apprehensa, sono non parum decepit; tum quia utraque manus malleo impeditur. Ambabus enim manibus pulsatur hinc inde, ut nunc quædam frequentamenta, nunc quasdam quasi pausas audias.

*Agiosydirum* hac formâ vidimus: Ferrea erat lamina quatuor digitorum latitudine, sexdecim verò longitudo, funiculo in medio librata. hæc ferreo malleolo ternis interpolatis vicibus ab homine pulsari solet, qui sacerdotem.



rem eucharistiam ad ægrotos lectoque decumbentes deferentem solet præcedere, ut inter transeundum quisque rei admoneatur. Sed jam Campanarium cum Symandro appingamus ut cunque.

Est & *Agiosydiro* locus hīc tribuendus; ut hi quibus Græcorum regiones videre non contigit (utinam & mihi id contigisset, non enim tantam rei domesticæ, scriptorum, & libertatis jacturam passus essem) quod à me dictum est de hoc instrumento, faciliùs percipient, & Græcorum mores cognoscant.



## C A P. XVI.

*De Turribus quæ Tintinnabulis dicantur.*

MAGNI refert quo Campanæ loco suspendantur, tinnitusque edant. Si in planicie, cognitum est longius earum sonum pervadere, quam si in montibus pendeant. Si vero in valle, longius quam in aperta planicie, quod sonus non in orbem, sed in longum progrediatur. Siquidem apertum satis est, id aeri voce, vel sono diverberato, usu-

usuvenire, quod aquis stagnantibus, si in eas lapis, vel quid aliud simile proiecatur. orbes enim initio parvos, mox magnos, demum maximos, & qui quam longissime progrediantur, explicari animadvertisimus, longius verò produci si in longum, quam si in orbem aquæ stagnaverint, ac constiterint. De voce autem & sono, sint corpus nec ne, hic non habeo dicere, quod in Annotationibus in Aulum Gellium <sup>a</sup> eā de re satis pertractaverim. Est etiam in soni progressu discriminis non nihil, si hic in nemora, & loca fruticibus condensa, aliubi in nuda

nuda scopulisque aut alia reduriora, vel densa frangatur, ac quasi redundet; si in objecta ædificia, obstruetaque loca urbis incidat. Vitruvius auctor est, olim in Theatrorum gradibus vasa quædam ampliora consueuisse locari, ut voces in ea incidentes, refractu, & quasi repercuſſu augerentur. Quæ res facit ut credam coniectis turribus campanariis campanas longius personare quam in aper- tis, siquidem sonus non in altum atque in immensum spar- gitur (facilius autem in altiores partes quam in humiliores profilit, quia ibi tenuior exi- stit aër, à vaporibusque & terræ aquarumque suffitu de- fæca-

fæcator, quamobrem faciliùs permovetur, ac scinditur) non in immensum inquam spargitur, sed inferiores partes propellitur. Teguntur verò turres hujusmodi non ut sit in privatis ædibus, sed vacuis quibusdam pyramidibus, & metis latericiis, aut marmoreis constructis & quasi superimpositis; in quas propulsus sonus augetur & tanquam è latissimo tintinnabulo non parum adauctus profilit deorsum. Quod de aëris tenuitate diximus, nos admonet, ut existimemus, tempestates aërisque varias constitutiones in soni magnitudine, vel parvitate aliqua habere momenta scilicet, ut Virgilii verbis non sine

86 *Hieronymi Magii,*  
sine philosophicâ ratione pro-  
latis utamur,

— *cum Jupiter humidus  
austris*


*Densat, erant quæ rara modo,  
& quæ densa, relaxat.*

Ventorum quoque vis non  
modicum ad avertendum a-  
lioque rapiendum sonum, aut  
ad longius provehendum con-  
ducit, ut omnino est unicui-  
que apertum.

Illud hic minimè silentio  
involvendum est, non parum  
studii atque industriæ Archi-  
tectos in hujusmodi turribus  
construendis, atque exornan-  
dis ponere confueuisse. Hinc  
ut alias non paucas nobilio-  
rum

Turris Pisana.


pag. 87.





rum urbium turres omittam,  
visitur Florentiæ ad Divæ  
Reparatæ turris campanaria  
numeris omnibus absoluta, &  
pulcherrimis sculpturis, quæ  
transeuntes remorentur, ex-  
ornata. Nonnulli anxiâ & à  
discrimine non modicum ab-  
horrente curâ intantum luse-  
runt, & lascivire ad captan-  
dam vulgi auram voluerunt,  
ut turres non ad perpendicu-  
lum, ut fit, sed maximè pro-  
clinatas, ruinam minitantes,  
& jam jam casuras construxe-  
rint. E quibus unam conspe-  
xi Pisis marmoream, teretem,  
columnisque clavicularum in  
morem circumplexam, in  
quam cùm ascenderis, mirum  
in modum timore afficiaris,  
ne

Turris Garisenda  
Vulgo  
La torre Afinella



ne illa prolabatur, teque op-  
primat ruinâ: ut nunc Afinel-  
lorum turrim Bononiæ non  
solùm hoc nomine, sed etiam  
proceritatis ratione visendam  
omittamus, quamquam hæc  
non in eum usum, in quem Pi-  
fana illa constructa est. Sed sunt  
nonnulli, qui existiment, tur-  
res hujusmodi non eo, quo  
nunc cernuntur, habitu fuisse  
ædificatas, sed terræmotuum  
injuriâ aliquando nutasse, & à  
perpendiculi statu esse non pa-  
rum dimotas, & inclinatas.  
**Q**uos tamen mendacii arguunt  
fenestrarum, ostiorumque li-  
mina, & ea foramina, quibus  
tigilla tabulatorum, dum con-  
struerentur, quiescebant, &  
sustinebantur: plana enim

F funt,

90 *Hieronymi Magii,*  
sunt, non devexa, sed ad libel-  
lam consistunt.

## C A P. XVII.

*Tintinnabulorum, sive Campanarum tinnitu hodie è templorum turribus quibusdam in urbibus musicos concentus magnâ cum voluptate exprimi.*

**A**RTE singulas in dies magis magisque excoli, & quâdam quasi alluvione adaugeri satis est notum; quamobrem haud quaquam admirari convenit, si id in campanis conficiendis pulsandisque usu venerit. Vidimus olim Bônoniæ in Æde Episcopali, antiqua tria tintinnabula argentea,

tea, eâ arte facta, ut cùm à sacerdotibus musices non ignarisi ad sonum edendum moverentur, musicos concentus emitterent. Hodie quoque apud Menapios, Sicambros, & \* alias Christianas nationes tintinnabula majora in templorum turribus visuntur (quod primùm ab Oberto Gifanio Burenſi audivi, & mox in libris Hieronymi Cardani, de varietate rerum, adnotatum legi) à musices non ignaris efformata, delecta, suspensa que, & à musicis pulsata, è quibus tanquam è nauliis, quæ *organa* vulgo dicimus, musici con-

F 2 cen-

\* Potissimum *Antverpia atque Insulis Flandrorum ac Tongris tinnitus musicus cum audiendum stupore auditur.*

92 *Hieronymi Magii,*  
centus, & harmonici eduntur,  
ut maximè hujusmodi rei in-  
ventori nationes illæ debeat,  
siquidem non modo in eccle-  
siis, sed domi, in stratis, pas-  
simque ea quæ à musicis orga-  
nis proficisci solet, voluptate  
fruuntur. Ideo cùm campanæ  
pulsantur, non solum in domi-  
bus, sed etiam in triviis egre-  
giè, & magnâ cum hilaritate  
saltantes homines, & tripudi-  
antes conspicias: quis nomos,  
& cujus musici cantio pulse-  
tur, facile agnoscas; ut mirum  
sit, cur ea ars & ad nostrates,  
ut in multis aliis factum est,  
non pervenerit.

Quan-

\* \*

Quandoquidem in hoc capite actum est de illo concentus genere, quod mediantibus diversæ magnitudinis campanis efficitur, haud incongruè facturi videmur, si ideam istiusmodi systematis campanarii hic subjecerimus, quale visum à se Antverpiæ in turri D I V Æ M A R I Æ. *Mersennus* refert. Ac totum quidem illud opus campanis triginta tribus constat, quæ ut magnitudine & sono inter se differunt, ita suos singulæ funes, suum singulæ malleolum habent. Quo, per funes diversimodè commoto, concentus etiam aliis atque aliis redditur: nec est ferè quidquam, in quo, si reliqua species, hæc machina ab *Organis* vel *Clavicymbalis* vulgaribus differat, nisi quod hic palmulæ pugnis, illic digitis pulsentur: quod tamen absolutè necessarium non est, sed eâdem utrobique facilitate & modo, si ingenium accedat perfici posset. Atque hæc quidem rudi Minervâ ad exemplar illius operis quod Antverpiæ extat dicta funto. Cui verò specimen artis, & certantis cum naturâ ingenii vim videre & audire placuerit, is-


adeat quas insignis in arte fusoriâ magister FRANCISCUS HEMONIUS jussu Illustrissimi, & Amplissimi AMSTELODAMENSIVM senatus, paſſim in urbe omnium celeberrimâ adoravit machinas, audiatque pulsantem hæc organa Ingeniosissimum SALOMONEM VERBEEQUIUM, & mecum lubens fatebitur, nec majus in illo operis genere artificium, nec majorem in illo genere Musices artificem extitisse unquam.

A.B.C. Diversæ magnitudinis campanæ, quarum quæ major sonum reddit graviorem.

D. Malleus, qui monstrat quâ ratione ceteri funibus alligentur.

E E. Foramen, per quod transeuntes funes suis quique palmulis alligantur, & ad abaci palmulas descendunt.

F. Abacus cum palmulis, & pulsante palmulas artifice, reliqua in proclivi sunt.



pag. 94.



C A P. XVIII.

*De minorum tintinnabulorum  
usu apud Principes viros, &  
magistratus civitatum.*

UT non salum ætatis no-  
stræ , sed posteritatis  
quoque ratio habeatur (uti-  
nam & antiquis scriptori-  
bus labor huiusmodi non fuif-  
set ingratus , nam rerum mul-  
tarum præsertim vestium in-  
strumentorumque cognitio-  
ne minimè careremus , & in  
magnâ aliquarum rerum igno-  
ratione non versaremur) sci-  
endum est , principes viros ,  
præsertim Cardinales , atque  
Episcopos , cùm domi , at-  
que in cubilibus degunt ,

F 4 ut

96 *Hieronymi Magii*,  
ut linguae & lateribus parcant,  
tintinnabulis minoribus famu-  
los accersire consueuisse; qua-  
mobrem & cum huiusmodi  
tintinnabulis aliquos in pictu-  
râ ad vivun expressos nonnun-  
quam vidimus. Magistratus  
præterea, & publicam perso-  
nam gerentes, & in causarum  
cognitione sedentes, tintin-  
nabulis litigantes accersunt in  
auditorium, & iis silentium  
imponunt. Movet hoc manu  
tenens qui *Præpositus* voca-  
tur, quod uni eidemque homi-  
ni non semper contigit. Spe-  
ctavimus hoc saepè Florentiæ,  
cum in iuniori ætate legati  
munere fungeremur.

C A P

C A P. XIX.

*De Tintinnabulis quæ ædium  
foribus alligantur.*

**I**L lud quoque ratione prædictâ dignum adnotazione existimavi, quod in multis Italiæ locis, præsertim Venetiis spectavimus, ædium foribus introrsum Tintinnabula appendi consueuisse, ut cùm aliquis ingreditur, egrediturq; sonitum edant, & eos qui domi sunt & ab ostio absunt, egressus ingressusq; huius illiusve admoneant, ut non solum furium, sed & domestico- rum præsertim servorum fraudes eludantur. Vidimus quoque in eâdem urbe quendam

F 5 hanc

hanc movendorum tintinnabulorum rationem instituisse. Axi plura tintinnabula affixerat, illumque ita foribus introrsum aptaverat, ut circumagi facile posset: mox funem addiderat, funique sacculum arenâ expletum adalligaverat, eâ ratione, ut cum fores aperirentur, funis axem illum tintinnabulis persistrentem circumvolveret. Est & aliis tintinnabulorum usus in privatorum ædibus quæ plura tabulata continent, vel quæ ampliores sunt. Nam è superioribus tabulatis suspenduntur tintinnabula, quæ fune per scalas procedente, ac per fores transmisso ab his, qui ingredi voluerint, si fo-

si fores occlusæ sint, moveri solent. Monachorum etiam sanctorum monialiumque in cœnobiiis, cavædia, & andronitides non procul ab ostio suspensa tintinnabula habent, quæ fune ab his, qui exterius fuerint, moveri possint, ut atrientes facile advocari possint.

Antiqui annulo ferreo, vel æneo, aut re non absimili exterius affixâ, ut hodie etiam fit, & pendula (*Corvum*, sive *Cornicem*, ut Iulius Pollux testatur, ne alios commemorem, appellabant) uti consueverunt, quam rem me apud Plautum observasse memini. Credere etiam par est, huiusmodi annulos consueuisse appendi introrsus eorum

civium foribus, quibus privata lege concessum erat, ut fores, ostiis aperiendis, exterius atque in viam explicarentur, quâ de re apud Plutarchum in Publicolâ, & apud Aristotelem in magnis Oeconomicis. Prischorum ædes non absimiles fores habuerunt, unde apud Terentium non semel legas, egrediente aliquâ personâ ex ædibus, *fores obstrepuisse*, antequam enim aperirentur pulsabantur interius, ut qui ante fores in viâ constitissent, aut illac pertransirent, sibi caveant: quod à \* doctis viris observatum est, quanquam cardinibus æneis, qui aperiendis foribus stridebant, juxta illud poëtæ,

\* M. Ant. Mureto in var. lib. I. c. xvii.

poëtæ, *Cardo stridebat ahenus,*  
*strepitus ille fortasse adscribi*  
*poteſt; in quâ re non magnopere*  
*laboro.*

C A P. XX.

*De Campanarum Conficiendarum & suspendarum arte, & quâ ratione statere non magnearum pondus deprehendi possit.*

**P**ROPOSITÆ tractationis ratio exigere videtur, ut aliquid de conflandorum Tintinnabulorum arte loquamur; quanquam ea vulgo cognita est, ac videre quisque in officinis potest, Venetiis præsertim, quo pacto conficiantur. At si cui in officinas ingredi non

non sit integrum , Vannocii Beringucii Senensis, campanarum artificis egregii *Pyrotechniam* consulat : in illâ enim & perscriptum Italicò sermone & delineatum reperiet , quicquid ad eam artem ediscendam conducit ; usque adeò , ut & quo pacto campanæ in turribus constuantur , ac moveantur , edoceat , optimèque figuris delineatis commonstret . Nos tamen eam rem hîc silentio parte aliquâ minimè transmittamus.

Campanæ non solùm materiam , sed & formam plurimùm ad soni magnitudinem , & suavitatem conducere certò scimus . Si humiliores latioresque petasi , seu galeri , aut

aut lebetis figurâ efformentur, sonum non admodum magnum & ingratum auribus edunt. Si verò longiores craf- sioresque quam artis ratio patitur, obtusum nec latè dimanantem emittunt. Artis præscripto campanæ altitudo dupli oris diametro constat, aut paulò breviore mensurâ, formâ pyri longioris effigiem æmulatur, atque exprimit. Antiquorum tintinnabula magis ad galeri, quam ad hujusmodi pomi formam accedebant, erantque tenuiora, quamobrem & rauca, & minus quam nostra sint sonora. Materia constat æris, stanni, plumbique mistione secundum varia opificum consilia, nam

nam si gravem sonum quæsi-verint, stanni plumbique non parum æri admiscent: si acutum, stanno, plumboque plus parcunt. Quanquam & amplitudo maior ad eam rem vim non parvam obtinet. Seculis superioribus, cùm minus principum avaritia sœviret, & argentum multum admiscebant opifices, unde in quibusdam argenti sonus nonnihil exprimitur, ut in unâ atque alterâ templi Divi Bartholomæi apud Anglarenses meos: in quo utinam mihi citò è servitute redempto, Deo Opt. Maximo gratias agere detur. Sed jam tempus est ut receptui canam. Antequam tamen id facio, non est ignorandum statere

non

non magno maximarum cam-  
panarum pondus examinari,  
ac facile deprehendi. Quâ arte  
hoc præstari possit, apud loan-  
neim Buteonem Delphinatem  
perspicies in eâ pertractatio-  
ne, quam *de statere & librâ*  
superioribus annis edidit. Lo-  
cùm enim indicasse, mihi ar-  
ctius servitute oppresso, o-  
cioque litterario, & libris ca-  
renti, satis esse videtur.

## PERORATIO.

**H**A BES, Generosissime,  
atque Illustrissime, Do-  
mine, munus à Hieronymo  
Magio asperrimâ durissimâ-  
que servitute dejecto oppres-  
soque, non quidem quale  
amplitudini tuæ conveniat,  
sed quod tenuitas mea in er-  
gastulo inter Domini sem-  
per minitantia verba, inter  
multiplices ac libero homi-  
ne aliquando & bajulo indi-  
gnos labores, inter conservo-  
rum strepitus probraque præ-  
stare potuit. Quamobrem ti-  
bi & eruditissimo viro Jo-  
ANNI SAMBUCO, Biblio-  
thecæ

thecæ Imperatoriæ Præfœcto, si in ejus aliquando manus, te sospite quod Deus faxit, in Christianum orbem reverso, descendat, tibi inquam, illique haudquaquam mirum videbitur, si hic jejonus, ibi incultus ac claudicans, alibi rusticus fortasse fuero. Eam ob rem abs te lectoribusque humanis, veniam me spero nullo negotio impetraturum, satis autem fuerit hoc meo opusculo ut cunque studium in te meum præ me ferre, & posteritati testamentum relinquere. Si autem tuæ benignitatis munere, ut amissam libertatem propediem adipiscar, efficiatur, mihi que apud Christianos

108 *Hieronymi Magii, &c.*  
stianos versari aliquando con-  
cedatur, sed & alia in tuo no-  
mine & MAXIMILIANI  
Imperatoris semper Au-  
gusti apparebunt.

F I N I S.

F R A N C I S C I S W E E R T I F.

N O T A E

*In Librum*

H I E R O N Y M I M A G I I,

D E

T I N T I N N A B U L I S.



FRANCISCI SWEERTI F.

Antwerp.

# NOTE,

*In Librum*

HIERONYMI MAGIT

DE

## TINTINNABULIS.

CAP. I. Pag. 2.

**I**Atè per trātaverit] Ingen-  
tis certè memoriæ & lecti-  
onis MAGIUM, nullus  
adjutum libris, fuisse, hic  
liber, quem damus ostendit. Ne-  
cessarium maximè est vitæ homi-  
num *Memoria*, unicus (teste Fabio)  
Eloquentiæ thesaurus. Miranda &  
& vix credenda quæ de Cyro Perfa-  
rum Rege tradunt Plinius & Soli-  
nus. Cæfarem verò scribere & le-  
gere

gere simul , dictare & audire, (idem etiam , teste Spartiano , Hadrianus Imperator facere confuevit ) solitum accepimus. Magnis his viris **M A G I U S** noster cur non annumerandus ? qui ferreas gestans catenas sub jugo Turcico , animum ad scribendum appulit, omni librorum ope destitutus.

Pag. 3. *Matthiæ Corvino ]* Fuit hic Hungariæ Rex , de quo multa apud Historiographos. Joachimus Camerarius ita in peculiari libello : *Patrum nostrorum memoriam Regem fuisse optimum atque fortissimum accepimus MATTHIAM HUNIADEM , qui quum Pannoniam solam teneret, formidabilis tamen & ASIÆ & EUROPÆ Imperatoribus fuit. Idem mirifico ardore flagravit bonarum litterarum atque artium , quarum Professores magnis præmiis affecit , & libros undique grandi pecuniâ conquiri jussit , quorum spectabilis copia ad Turcicam irruptionem*

nem usque duravit. Eum igitur hoc nequaquam fugit, vix esse aditum atque accessionem Veritati & Libertati in Regum atque Principum domos. Itaque quum haberet circum se non tam belli, quam pacis artium peritos, solitum tamen traditur saepe illum datam operam à comitatu in venationibus suo se se abducere, atque in solitariis rusticorum, vel aliquo pago pernoctare, colligentem famam & rumores de Rege & administratione Reipublicæ. Ita illum nihil ferè vitiorum, vel quibus ipse, vel quibus sui laborarent, neque ulla peccata administrationis, fugisse. Hæc ille. Consule Iovium, Franciscum Rosinum, & Joannem Alexandrum Brassicanum I. C. eruditum, Præfatione in D. Salvianum Maffiliensem Episcopum. Quantus fuerit, testatur vel Epitaphium, quod h̄ic in gratiam lectoris damus :

C O R V I N I brevis hæc urna est :  
quem magna fatentur.

*Facta fuisse Deum, fata fuisse hominem.*

Pag. 5. *Petasum*] *Petasus* capitatis tegmen, à πετάννυμι, id est, extendō, galero persimile, sive ipse galerus, seu pileus viatorius solem arcens. Plautus Prologo Amphitri:

*Ego has habebo hic usque in petaso pinnulas,*

*Tum meo patri autem torulus inerit aureus*

*Sub petaso.—*

Per tralationem dicitur *Petasus*, quod in galeri formam ædificiis superpositum, extensem & explicatum est, in metæ formam se trahens. Vide Plinium libro xxxvi. cap. xii, Naturalis historiæ.

Pag. 6. *Codones*] Sunt tintinnabula, & quos propriè *sonalios* vocabimus phaleris equorum appensos. Suidas, κωδων, τοῦτο ἐν τῷ κινέν αὔδειν. Hinc κωδωνεών. ἐν ᾧ οἱ κωδωνες auctor. idem Sui-

Suidas. Vide interpretem Sophoclis in Ajace. *Tintinnabula* verò Latini à verbo *tintinnire* derivant. Nonius Marcellus : *Tintinnire dicitur sonare, unde & tintinnabula sunt appellata.*

P.7. *Nolæ etymologiam*] Paulinus Episcopus Nolanus (olim *Sidicinum*) auctor Plinius libro III. cap. v., D. Hieronymi æqualis, vir vitæ sanctimoniam spectabilis, primus in suam Ecclesiam Campanæ usum invexit: correxit vir sanctissimus abusum gentilium sacrorum, & ad pia munia transtulit, ut nimirum ejus strepitu exciri possent semotiùs habitantes ad conciones precationesque. Atque hinc fortasse tenuit consuetudo, ut Nolæ vocabulo censerentur tintinnabula ab hac Campaniæ Nolâ, cuius apud Polybium Liviūmque fit mentio.

P.8. *Campanam quoque à Campani.c*



κείων. ἀμφοτέρης ἡ σωῆγε τὸ πλῆθος.  
 Id est, *Invenit autem & buccinæ speciem ex argento factæ talem: Canna erat tibia paulò crassior, longitudine paulò minus cubitali, cuius ostium patebat, quantum ad inflandum sufficeret, desinebatque in extremitatem campanulæ similem, quemadmodum tuba.* Asofra vocatur hoc genus apud *Hebræos.* Duas tales fecit, quarum unâ plebs ad concionem vocabatur, alterâ *Principes ad consultandum de Republicâ exciebantur: utrisque verò clangentibus universus populus convocabatur, &c.* Quo autem tempore cœptum fuerit *Campanis* uti in Ecclesiâ Catholicâ, incertum. Illud constat Anastasii Monachi Persæ Martyris sæculo nondum fuisse *Campanarum & Nolarum usum.* Invenio in vii Synodo Act. iv. ex lib. miraculorum S. Anastasii Martyris, quod cum Cæsareæ civitati reliquiae S. Anastasi approquinquarent, cives omnes lætitia magna perfusi

surgentes subitè, lignaque sacra pulsantes obviam facti sunt, in venerandæ Deiparæ virginis æde. Ecce ligna sacra pulsabantur in supplicationibus.

Ibid. *Temesa Campaniæ urbe*] *Temesam* antiquum Cypri oppidum tradunt scriptores, ubi æris fodinorum locus ostenditur. Lege Strabonem lib. v. & Erasmum in proverb. *Temesæus genius*. Est & *Temesa* agri Brutii oppidum, æris fodinis olim nobilitatum, quod Ausonii condiderunt, & postea litteræ unius mutatione *Tempsum* appellarunt. Plinius libro iii. cap. v. Ovidius xv. Metamorph. hinc *Temesæa æra*. Ovidius libro v. Fastorum :

*Rursus aquam tangit, Temesæaque concrepat æra.*

*Et rogat, ut teclis exeat umbra suis.*

Sanè crepitus fit ad finem sacrificii, ut volens umbra discedat : unde sunt abacta

abacta silentia. Nobilia sunt & *Temesæa æra* in succurrendo labo-  
ranti Lunæ. Hadrianus Junius Ani-  
madvers. libro III. capite xi.

Pag 9. *Dodonæos lebetes]* *Dodona*  
urbs in Chaonia, Epiri regione, jux-  
ta quam insigne nemus, ubi *Iovis*  
*Dodonæi* templum fuisse narratur, in  
quo oraculum omnium, quæ apud  
Græcos sunt, vetustissimum. Lege  
Herodotum libro II. Philoxenum  
& Stephanum de urbibus, cum Eu-  
stathio. Hinc *Juppiter Dodonæus*.  
Item *Dodonæum æs*, cymbalum aut  
tintinnabulum diu noctuque conti-  
nuò crepitans. In hominem dici  
consuevit improbae atque importu-  
næ loquacitatis. Zenobius ἐν παρο-  
μιῶν ὅπιτημη̄ tradit: in Dodona duas  
fuisse sublimes columnas, in alterâ  
positam pelvim æream, in alterâ  
pueri simulacrum flagellum æreum  
manu tollentis. Quoties autem  
ventus flaverit, fieri, ut scutica im-

pulsa crebrius lebetem feriat , isque percussus tinnitus reddat , ad multum etiam temporis resonantem. Iuvenalis ad adagium allusisse videtur , cùm ait :

*Tot pariter pelves , tot tintinnabula credas*

*Pulsari.* —

Muliebrem taxans garrulitatem.  
Item apud Ausonium :

*Nec Dodonæi cessat tinnitus abeni.*

Aliam hujus adagii interpretationem adfert Suidas , quem consulat lector.

P. 10. FRANCISCUM PETRARCHAM] Fuit Hetruscus natione , vir doctissimus , Philosophus , Rhetor & Poëta celeberrimus : litteras velut intermortuas quasi ab inferis revo- cavit. Multa opera tam Latinâ , quâm vernaculâ conscripsit linguâ. Anno Christianæ salutis cl. cccxli. Id. April. solenniter Romæ in Capi- tolio , maximâ tam Romanorum quâm

quam advenarum procerum, aliorumque adstantium frequentia, laurea coronâ insignitus est, quod illi primò contingit

*Romani post imperii linguaeque ruinam.*

Moritur eodem seculo c<sup>lo</sup>.ccclxxiv xix. Iulii, ætatis suæ lxxiv. Visitur adhuc hodie ejus Epitaphium in collibus Euganeis sub dio in sepulcro rubri marmoris, cui incisum :

*Frigida Francisci lapis hic tegit  
ossa Petrarchæ.*

*Suscipe virgo parens animam, fate  
virgine parce,*

*Fessaque jam terris celi requie-  
scat in arce.*

Ad ejus etiam tumulum Cl. Vir. IANUS LERNUTIUS nostri sæculi Poëtarum princeps, mihiique amicissimus, ita lusit :

*Dii tenuem tibi terram, & in urna  
perpetuum ver :*

*Ardoris nostri, magne Poëta, jaces.*

Hujus vitam satis eleganter descri-

psit Hieronymus Squarzaficus Alexandrinus, ad Petrum Contarenum.

## CAP. II. & IV.

Pag. 13. & 24. *Sepulcro Porsenæ]*  
 Plinius libro xxxvi. capite xiiii. Naturalis historiæ: Namque & Italicum (de Labyrinthis loquitur) dici convenit, quem fecit sibi Porsena Rex Etruriæ sepulcri caussa, simul ut externorum Regum vanitas quoque ab Italib[us] superaretur. Sed cùm excedat omnia fabulositas, utemur ipsius M. Varronis in expositione ejus verbis: Sepultus est, inquit, sub urbe Clusio, in quo loco monumentum reliquit lapide quadrato: singula latera pedum lata tricenūm, alta quinquagenūm: inque basi quadrata intus labyrinthum inextricabilem, quò si quis improperet sine glomere lini, exitum invenire nequeat. Supra id quadratum pyramides stant quinque, i.v. in angulis, in medio una; in imo latæ pedum septuagenūm qui-

nūm,

nūm, altæ centum quinquagenūm: ita fastigiatae, ut in summo orbis æneus & petasus unus omnibus impositus, ex quo pendeant excepta catenis tintinnabula, quæ vento agitata, longè sonitus referant, ut Dodonæ olim factum. Supra quem orbem iv. pyramides insuper singulæ extant altæ pedum centenūm. Supra quas uno solo quinque pyramides, quarum altitudinem Varronem puduit adjicere, &c.

P. 13. Polydorum Virgilium] libro de Inventoribus rerum vi. capite xiii. hæc de Tintinnabulis: Quod Tintinnabulorum sono populus invitatur vocaturque ad sacra audienda statis diei horis, Sabiniani qui Gregorio successit, hoc decretum est. Aliud inde Ioannis XXII. Romani Pontificis prescriptum manavit ad posteros: is enine instituit, ut ter in singulos dies, tintinnabula ad vesperum pulsarentur, ac tum unisquisque ter salutationem angelicam D. Virginis sacram recitares.

*Institutum ita mansit, ut hodie ubique gentium sit in usu, atque auditio tintinnabuli sono, cuncti confessim genua fletant atque orent.* Hactenus ille, Legē & Martinū Polonum in Sabiniāno Pontifice.

## C A P. III.

P. 20. *Thermæ Diocletianæ]* Harum reliquias adhuc hodie non absque admiratione conspicimus. Incredibile quantâ mole & sumptu constructæ. Præter *Agrippinas, Neronianas, Vespasiani & Titi*, celebrantur *Domitiane, Alexandrine, Severiane & Constantiniane*. M. Agrippa ut populo placeret, clxx. balnea seu lacus in provinciarum formam, Romæ gratuita præbuit. Vide Ammianum Marcellinum, Alexandrum ab Alexandro lib. iiiii. cap. xx. Georgium Fabricium in Româ suâ, Ioannem Rosinum libro i. Romanarum Antiquitatum.

Ni-

Nicolaum Sipontinum. Omnia diligentissimè nostrâ ætate de Thermis scripsit Andreas Baccius Elxidi-anus Med. libr. vii. eorum quos de Thermis edidit. Huic adjunge BelgI ocellum Iustum Lipsium lib. III. De magnitudine Romanâ.

Pag. 22. *Ex Strabone] libro xiv.*  
usos veteres nolâ ad venditionem pis-  
cium significandam patet. καθαρωδῷ  
γὰρ ὅπιδεικνυμένος, τέως μὲν αὐτοῦ οὐδει-  
πάντας, ὡς δὲ ὁ κώδων ὁ κῆτος ἢ ὁ ψυπωλίαν  
ἔψοφησε, καταλιπόντας απελθεῖν ὅπι τὸ  
ὅψον. Id est, Cùm Citharædus quidam  
artem suam publicè ostentaret, tanti sper-  
ab omnibus fuisse auditum, dum tintin-  
nabulum signum venditionis piscium  
daret: eo audito universos ad piscium  
negotiationem discessisse. Item è Plu-  
tarcho libro iiiii. Symposiacon ca-  
pite iv. αἰλλὰ τοὺς τοῦτον ιχθυοπωλίαν  
αἰαδιδόντας, ή δὲ κώδωνος ὥξεως αἴγον-  
τας. Id est, Sed qui subinde in foro písca-  
rio versantur, Εἰ tintinnabulum celeri-

*ter exaudiunt.* Simile illud apud eundem Strabonem lib. xv. Geographiæ apud Indos fuisse ædiles, qui fructus maturos signo dato vendi curarent. Notavit hoc post Cœlium Rhodigium libro xix. capite x. Antiquarum Lectionum Joannes Langius in Medicinalibus epistolis, Isaacus Casaubonus Galliæ lumen, ad librum xiiii. Strabonis, & Medico-rum princeps Hieronymus Mercu-rialis libro i. Variarum lectionum capite xxv. Adhuc hodie Antverpiæ est in usu venditiones *tintinnabuli* signo indicare plateatim.

## C A P. V.

Pag. 26. *Familiam tintinnabuli sono excitari]* Ita Lucianus Tractatu de iis qui mercede conducti, in dividutum familiis vivunt: ἔωθέν τε οὐαδούσιν εξαναστάς διποσφορίμην Οὐ πυγτὸν ήδησον συμπλεγεῖς δινω γράμματω, ἐπιτὸ χριζόν πηλὸν ἔχων θῆτι τοῦ σκελοῦ.

Id.

Id est, Deinde manè ad tintinnabulum expergefactus, discussâ ab oculis dulcissimâ somni parte, una sursum ac deorsum circuncursas, hesterno luto etiamdum tibiis adhærente, &c.

## C A P. VII.

Pag. 33. *Syriæ Deæ sacerdotem]*  
 Plutarchus in vitâ M. Crassi de prodigiis agens, quæ ipsi acciderunt in Syriâ, hanc describit. Mentio item hujus apud Tertullianum in Apolog. M. T. Ciceronem, III. de Nat. deorum, Eusebium de præparatione Evangelicâ cap. II. aliosque, præcipue autem apud Lucianum, quem lector audi: πολλοὶ δὲ ἀπικνεόμενοι χρυσὸν τε καὶ ἀργυρὸν, οἱ δὲ χαλιφὸν κομίζοσι, εἴτε ἀφέντες σκείνε τελεθε κείμενα, ἀπᾶσι, λέγοντες τὰ δύναματα παρεσεώς δὲ ἀλλαγῶνται, αἰγάλειψι δὲ δεξαμένους τουδια, εὐχωλιών ἐστιν εὐπάτορες ποιέεται. οἷα δὲ εὐχόμενοι κροτέο ποίμνα χαίλιεν, τὸ αἰεῖδε μέγα καὶ τερχόνται. &c.

**I**d est, *Multi autem venientes, avarumque & argentum, quidam etiam æs afferunt, deinde ante illum appositis atque ibi relictis illis abeunt, unusquisque nomen suum edentes.* Astans autem alius quidam, sursum renunciat. *Ille igitur accepto nomine, preces pro unoquoque facit, precando autem pariter & æreum quoddam tintinnabulum pulsat, quod motum, graviter atque asperè sonat, &c.*

Pag. 35. *D. Antonii fratres]* Majores nostri memorias Sanctorum invisentes, libenter pro se conferebant parvam Sancti imaginem, sic etiam pro pecoribus suis, collo alligandam nolam ex memoria S. Antonii conferebant, protestantes hac ratione, quod meritis S. Confessoris petebant, & confidebant animalia sua præservatum iri à peste. Quod indicat Ambrosius Novidius à Romanis observari. Agens enim de porco grunniente, qui S. Antonio appingitur,

tur, subdit:

— *collo mea concutit æra.*

*Noscere quo possis ne nocentur, ait:  
Æsque meum gestat, baculo quod cer-  
nis in isto,*

*Quodque rogans æger, collaque mul-  
tagerunt.*

## CAP. VIII.

Pag. 38. *Ovium, caprarum, suum]*  
Iustinianus Imperator in legibus ru-  
sticis Titulo secundo, §. 2. interpre-  
te doctissimo Francisco Balduino, ita  
sanxit: *Si quis crepitaculum sive tin-  
tinnabulum bovis aut ovis aut alterius  
cujusvis animalis sustulerit, convictus  
flagellator ut fur. Et si animal deperdi-  
tum fuerit, & id damnum sarcito, quod  
eius crepitaculum sustulit.* Sidonius  
Apollinaris lib. II. epistol. II. ad Do-  
mitium *greges tintinnabulatos* vocat,  
vel *tinnibulatos*, ut est in veteribus  
libris. Fortunatus libro II. de S. Me-  
dardo:

Tin-

*Tintinnum rapit alter inops, magis improbus ille,*

*Qui jumentorum colla tenere solet.*

Meminit & lex Burgundiorum titulo 4. §. 5. Item Gothorum lib. 7. tit. 2. 11. Antiq. denique Bojariorum cap. 8. tit. 11. § 1.

Pag. 39. *Delphinos]* Plinius Naturalis historiæ libro x i. cap. xxxvii. in hunc modum: *Delphinum audire manifestum est. Nam & cantu mulcetur & capitur attonitus sono. Quoniam modo audiat, &c.* Balenas & monstra marina tintinnabulis à navibus arceri mihi auctor Cornelius Kilianus Dufflæus noster in poëmatibus suis:

*Navita Erythraum pavidus qui navigat æquor,*

*In proræ & puppis summo resonantia pendet*

*Tintinnabula : eo sonitu prægrandia Cete,*

*Balenas & monstra marina à navibus arcet.*

Pag. 40. *Muliones*] Assiduo compertum est mulos valde delectari tintinnabulorum sonitu : quapropter muliones multijuga tintinnabula ad illorum colla suspendere solent , quo facilius sarcinarum labores perferant, ut Ovidius alibi canit. De equis simile tradit Suidas in *κωδωνίσαι* quos tintinnabulis pulsandis veteres explorabant ; & num tumultu pugnæ percellerentur, quod hodie tympano factitamus vel bombardis. Vide eundem in dict. *Ἀλεκωδωνίσω*.

P. 42. *Elephanti*] lege i. Centuriam Epistolarum Iusti Lipsi Epistolâ L. ad Ianum Hautenum , illic certè mira recenset : mirioria quæ Augerius Busbequius Belgicæ nostræ sidus se vidisse scribit Epistolâ i. legationis Turcicæ. Hæc ejus verba : *Vidi etiam elephantem plane juvenem mirè lepidum, ut qui saltaret & pila luderet, hic credo vix temperabis risu, elephantem, inquies, ludentem pilâ & saltantem? cùm saltare jubetur,*

*tur, movebat ita alternis pedes toto corpore coruscans ut non obscurè tripudiare velle videretur, pilâ vero palmaria ita ludebat, ut pilam in se conjectam proboscide scitè exciperet, longèque repercuteret, quod nos palmâ facimus, &c.*

## C A P. I X.

Pag. 43. *Hebrei tintinnabula]* Ita Origenes super Exod. *Habeat etiam Pontifex per indumenti circuitum tintinnabula, ut egrediens Sancta det sonum, & non intret cum silentio.* Et hæc tintinnabula quæ semper sonare debent, in extremo vestimento sunt posita, idcirco credo, ut de extremis temporibus & fine mundi nunquam fileas, sed inde semper sones, inde disputes & loquaris, secundum eum qui dixit: *Memor esto novissimorum tuorum, & non peccabis.* Ad hunc ergo modum, homo noster interior Deo pontifex adornetur, ut introire possit, non solum in sancta sed in sanctas sanctorum, &c. Flavius Jo-

Iosephus diligentissimus rerum Iudaicarum scriptor libro **III.** capite **VIII.** Antiquitatum ex versione Sigismundi Gelenii, hæc de Tintinabulis: *Pontifex verò uitur quidem etiam hoc, nihil eorum quæ enumera- vimus omittens, sed superinduitur hya- cinthinam tunicam talarem, quam no- strates Methir nominant, astringitque eam zona coloribus supradictæ simili, nisi quod auro intertexta: ceterum ima vestis ornabatur limbo effigie malorum punicorum distincto, à quo tintinnabu- la aurea sic dependebant, ut medium esset quodque malum punicum inter duo tintinnabula situm, & tintinnabulum inter duo mala punica, &c. Adscribo & Græca verba, si quis ea potius de- siderabit: ὁ δὲ χερεὺς, κασμέτη μῆν ἡ τῶν τοῖχων σφραγίδεν τῶν, τεφερη- μένων. ἐπενδυσάμενος δὲ ἐξ οὐκίνθι πε- ποιημένον χτῶνα, ποδίρης δὲ ἐσὶ ἡ διτός, Μεθείρ καλεῖται καὶ τὸ ημετέρου γλῶσ- σαν. Ζώνη τεσσάριγέτη βάμμασιν οἴς ή τετέρον ἥνθει Διαπεποιημένη χεισθ- σασ-*

σωσθασμάτων. οὗτοι πέραν δ' αὐτῶν τεργε-  
ερράμμησις θύσανοι ῥών τεόπον ἐκ Βα-  
Φῆς μεμιμηθήσις ἀπίρτηστο, ηγεμόδωνες  
χρυσεοι οὗτοι πολλαὶ ὅπιτήδεισιν τὸ εὔπε-  
πειας, ὡς μέσον Διολαμβάνεσθαι δυοῖν  
τε κωδώνοιν ῥοτοκον ηγεμόνην κωδώνιον.

## C A P. X.

Pag. 49. *Morem hunc tintinnabulo]*  
 Excubitores nocturnis Vigiliis No-  
 lam antiquitus pulsabant, ad cuius  
 pulsum respondendum erat illico, ut  
 Suidas refert dict. κωδωνεφορῶν, ex  
 Aristoph. interprete σὺ οὕριστ. ἐρχό-  
 μηνοι, inquit, θητὶ τὰς φύλακας κωδω-  
 νας εἶχον, ηγεμόνης ἐψόφου πειραζόντες  
 τὴν καθεύδοντα, ηγεμόνης ἵνα οἱ φυλάκοις  
 αὖτις φεγγωνται. Qui mos etiam-  
 num apud Iccium portum (*Ca-*  
*letum* hodie vocant) aliisque lo-  
 cis præsidiariis observatur. Simili-  
 ter si quā vis ingrueret, Campani æ-  
 ris tinnitu indicium ejus rei dabatur  
 olim, quemadmodum & hodie per  
 universam ferè Belgicam nostram  
 hoc

hoc civili bello, unde Thebaidos  
Papinius Statius eleganter cecinit :

— *procul auxiliantia gentes*  
*Æra crepant.* —

P. 50. *Funeri autem adhiberi]* O-  
lim si quis è vita excessisset, æra cam-  
panæve pulsabantur, ut pervetus  
Theocriti scholiaastes annotat ( qui  
mos in hunc usque diem apud nos  
perdurat ) quod is sonus credebatur  
esse καθαρός, ἐπελαστικὸς τῶν μιασ-  
μάτων, hoc est, avertere spectra & dæ-  
monum ludibria. Atq; hinc receptum  
arbitror, cur tonante cælo campana-  
rum boatu perstrepatur. Non sum  
tamen nescius subesse & aliam caus-  
am, nimirum ut illarum complōsu  
aërem longè latèque diverberante,  
vis tonitrii infringatur. Appollo-  
dorus in libro, quem De Diis inscri-  
psit, Hierophantam, hoc est, Pro-  
serpinæ sacerdotem, tintinnabulum  
sive nolam, ήχεῖον nominat, pulsare  
Athenis consueuisse scribit. Pulsan-  
tur

tur etiam Campanæ, teste Alberto Pighio ad finem libri vii. in exequiis & justis defunctorum, ut excitentur & præmoneantur nedum necessarii sed & ceteri cives ad præstanta officia defunctis, eorum opem implorantibus, ac si dicerent: *Miseremini mei, saltem vos amici mei.*

P. 51. *Flamini Diali]* Vide Agellium libro x. capite xv. qui ceremonias Flamini Diali impositas, satis copiosè recenset.

## C A P. X I.

Pag. 54. *Apud Plautum legendum]*  
In Pseudolo:

— verum extra portam Metiam currendum est prius.

A. Quid eo? ps. lanios inde accersam duos cum tintinnabulis.

Turnebus libro xxiii. capite xi. Romanos, cum supplicium de servis sumebant, tintinnabula ad plebem con-

convocandam, vel arcendam, ne contaminaretur, adhibuisse coniicit ex dicto Plauti loco. Etsi incomparabilis ille Scaliger *tintinnabulum* ibi vehiculorum genus esse putet.

## C A P. XIII.

Pag. 60. *Carrocium voce Italâ]*  
Hujus descriptionem accuratam nobis dedit Antonius Campus pictor & Eques Cremonensis in descriptione urbis Cremonæ vernaculâ linguâ, quam Latinè ita vertit Philippus Rubenius amicus mihi singularis, in quo quid laudes potissimum nescias, ingeniumne omni honesta & liberali doctrina cultum & perpolitum, cum acri & limato judicio conjunctū, an mores suavissimos prorsusque ad humanitatem factos, quibus se summis pariter & imis commendare solet : *Anno Christi M. LXXXI. Cremonenses CARROCIUM instituerunt, quodque ejus usum unâ cum libertate gratia Ber-*

H tæ

tæ Augustæ ab Henrico Imperatore im-  
 petrassent, BERTAM aut BERTAC-  
 CIOLAM dixerunt. CARROCIUM  
 erat currus amplior his atque sublimior  
 qui communi in usu. Invenere Longo-  
 bardi, primique omnium, secundum  
 aliquos, Mediolanenses usurparunt.  
 Ornabatur id à quibusdam panno ru-  
 bro, ab aliis albo; à Cremonensibus  
 verò mixtim rubro & albo, denique pro  
 colore, quo cujusque civitatis insigne.  
 Sed & seni boves, à quibus trahebatur,  
 simili panno tecti. In medio autem erat  
 antenna cum vexillo sive labaro, præ-  
 ter crucem rubram cetera albo, cuius-  
 modi in supplicationibus hodieque non-  
 nullis in locis gestantur: & ab eadem  
 antennâ dependuli funes, quos validi  
 robustique juvenes manibus attinebant,  
 inque ejus summo campana appellata  
 Nola. Nefas autem educere, nisi pu-  
 blico decreto, nec minus mille quingen-  
 tis ad custodiam ejus militibus stren-  
 uis & panoplia ac bipennibus egregiè  
 munitis. Propè etiam Duces omnes ac  
 mi-

militiae præfecti; at pone tibicines VIII.  
multique ad rem divinam sacerdotes.  
Præcipua tamen currus hujus cura da-  
batur viro virtute & peritiâ rei mili-  
taris insigni, quoque loci ille statuere-  
tur, eo tum jus dici, tum consilium  
haberi de summa belli solebat. Eodem  
& sauciis receptus atque configuum,  
eisque qui vel pugnando defessi, vel à  
multitudine hostium premerentur.

## CAP. XIV.

Pag. 67. *Campanarum tinnitu demones*] Petrus Messias Hispalensis  
libro XI. diversarum lectionum, ca-  
pite IX. hæc copiosè tractat, ad  
quem Lectorem remitto.

Pag. 71. *Ioannis Wieri Graviani*] Potius P. Martini Delrii Antverpi-  
ani amici optimi, qui hunc satis e-  
gregiè refutat in libro Magicarum  
disquisitionum.

## C A P. X V.

Pag. 74. *Voce quasi Stentoria]*  
*Proverbialis hyperbole, Stentore  
 clamosior.* Sumptum à fabulâ Sten-  
 toris, cuius meminit Poëtarum  
 Princeps Iliad. Σ. eique *ferream*,  
 hoc est invictam vocem attribuit:  
 æquabat enim quinquaginta alios  
 clamore. Ita Homerus :

Στέντοει εἰσαρκήν μεγαλύτοει χαλ-  
 κεοφώνω.

Οὐς τόσον αὐδήσας χ' ὅσον ἄλλοι πεν-  
 τίκοντα.

Augerius Busbequius epistolâ I. le-  
 gationis Turcicæ, idem confirmat  
 his verbis : *Talismannos habent ho-  
 minum genus templorum ministerio di-  
 catum. Hi mensuris utuntur ex aquâ,  
 quibus postquam adventare auroram  
 cognoverint, clamorem tollunt è celsâ  
 turri, in eum usum constructâ, quo  
 homines ad venerandum Deum hortan-  
 tur*

tur & arcessunt. Idem faciunt medio tempore inter exortum solis & meridiem; & item inter meridiem & occasum: postremò, sole occidente, voce utuntur acutissimâ, eam non injucunda modulatione vibrantes; quæ longius, quam credi possit, exauditur, &c.

## C A P. XVII.

Pag. 90. *Musicos concentus]* Stupendæ altitudinis ex candido marmore turrim templo D. MARIAE cœlestis curiæ Reginæ impositam, nemo est qui ignorat; hinc patria nostra,

—tantum caput extulit urbes,  
Quantum lenta solent inter viburna  
cupressi.

In hac ferè quotidie *Campanarum* insignis musicus concentus, tantâ arte & harmoniâ, ut non *Campanas* sed organum aliquod audire videaris, exteris omnibus stupentibus.

Pag. 91. *Hieronymi Cardani]* Ita enim

enim ille libro xii. De rerum Varie-  
tate. Revocavit hæc narratio memo-  
riam ejus, quod Bruxellæ in Belgicâ  
vidi. Nolæ plurimæ in circuitu positæ  
super turri, ut fieri solet, vocum musi-  
carum sonis proportionem obtinent: ad-  
eunt gnari artis, & tangentes singulas  
pro notis descriptis, cantilenam pul-  
sant, admiratione potius dignam, quam  
jucundam auditu: nam nolæ non reti-  
nent vocem, sed cum iectu statim desinit.  
Idem Lovanii, Antverpiæque fit.  
Transferri etiam potest ad urceos alia-  
que vasæ. Si dicas, quis usus harum  
nolarum? Ut tota civitas audiat Musi-  
cam, &c. Utinam Cardanus hodie,  
Campanarum musicam Antverpiæ  
audiret, secus judicaret, nempe &  
admiratione dignam, & auditu ju-  
cundam.

## C A P. X X.

Pag. 102. Campanæ non solum ma-  
teriam.] Fiunt ex metallo æris. Æs  
metal-

metallum est durabile & sonorum,  
habetque *Campana* interius ple-  
strum ferreum quo tunditur, ut au-  
diatur. Significat novi Testamenti  
prædicatorum ora, quæ plus durant  
quam tubæ veteris Testamenti, al-  
tiusque resonant. Natus erat tantum  
in Judæâ Deus, tempore Judæorum,  
at nunc in omni terrâ. Ænigma de  
*Campanâ* circumfertur satis elegans,  
quod hic adjiciam in gratiam curiosi  
lectoris, adjuncto altero magis brevi,  
cap. 3. Ioannem Andream An-  
gelerium , quem aliquando

A 6 in

<sup>a</sup> Lib. I. miscellaneorum cap. 2. In pra-  
fatione ad librum de equuleo.

in exercitu Joannis Medicæi  
jus dixisse refert. Fratrem ha-  
buit Bartholomæum Magium  
*Miscell. lib. 4. c. 1.* cui ipse à  
bonarum artium studiis lau-  
dem tribuit, Præceptore usus  
est Petro Antonio Ghetio, qui  
eum non solum humanioribus  
literis, sed & primis Iurispru-  
dentiæ elementis informavit.  
In publicis deinde gymnasiis  
commissa ingenio eruditionis  
semina feliciter excoluit, ac  
præsertim Bononiæ, ubi do-  
centem audivit \* Franciscum  
Robortellum, quem inclytum  
suum præceptorem vocat. Si  
quid porro ea ætas doctum  
protulit & literatum, hoc sibi  
amicum fecit, Obertum Gifa-  
nium, Melchiorem Guilandini-  
num,

\* *Miscell. lib. 3. cap. 5.*

num, Benedictum Varchium,  
Natalem Comitem, Joannem  
Michaëlem Brutum, Joannem  
Zarium Zamoschium, Jose-  
phum Zarlinum, Joannem  
Gallum, Giraldum, sed ma-  
gis ceteris Petrum Angelium  
Bargæum poëtam suo seculo  
celeberrimum. Nec vitam  
semper duxit umbratilem &  
privatam, publicis etiam rebus  
adhibitus est, juvenisque apud  
Florentinos \* legati munus  
cum laude sustinuit. Et cum  
muniendarum arcium ac civi-  
tatum artem calleret, Turcis  
Cyprum invadentibus egre-  
giam Reipublicæ Venetæ o-  
peram navavit, ac in Famagu-  
stana obsidione novis quoti-  
die inventis multa hostibus  
de-

\* *Magius de Tintinnabulis, cap. 18.*

detrimenta attulit, & magnos  
sæpe eorum conatus, ac mul-  
torum dierum labores parvo  
ipse momento delusit. <sup>a</sup> Sed  
capta tandem urbe anno supra  
millesimum & quingentesi-  
mum septuagesimoprimo,  
Christianisque contra fidem  
datam in servitutem addictis,  
infelix Magius, talique fato  
indignus, servus cuidam Tur-  
cicæ navis præfecto traditus  
est Constantinopoli, à quo im-  
maniter habitus miseram, cum  
reliqua mancipiorum turba,  
vitam ducebat. Tolerandæ for-  
tis suæ conditioni musas sæ-  
pius in subsidium vocavit, nec  
solum meditando, sed & lucu-  
brando laboriosæ servitutis  
acer-

*a Antonius Maria Gratianus belli Cyprii  
libr. 3.*

acerbitatem demulsit. Erat autem tenacis adeò memoriæ, ut omni prorsus librorum auxilio destitutus, nocturnis horis, cùm ceteri quieti indulgerent, duos a libros variis auctorum opinionibus & citationibus refertos composuerit, unum de Tintinnabulis ad Carolum Rymium, de Equuleo alterum ad Franciscum de Noailles Episcopum Aquensem, hunc Gallorum Regis, illum Maximiliani Imperatoris oratorem Byzantii ; quorum ope & liberalitate malis quibus urgebatur eripi posse speraverat : Turcæ etenim Famagustanæ obsidionis memores,

homini,

a Editos anno 1609. Hanovia, de Equuleo cum notis Gothofredi Jungermanni, Joachimi Camerarii ex filia nepotis, De tintinnabulis cum notis Francisci Sweertii.

homini, per quem tot clades  
aceperant, extrema quæque  
minabantur: sed fuit ea fati in-  
clementia & atrocitas, ut le-  
gati (dictu pudendum) ejus  
precibus surdi fuerint, barba-  
rique immisso in collum la-  
queo eum in carcere strangu-  
laverint. Exitum viri de literis  
optimè meriti ex ephemeredi-  
bus Arnoldi Manlii Ganden-  
sis Cæfarei oratoris medici,  
cui vivens Magius suum de E-  
quuleo commentarium reli-  
querat, ita accipe 1572. 27.  
*Martij nocte diei Jovis neca-  
tur in carcere Hieronymus  
Magius eques doctissimus, tor-  
mentarius magister (ingegne-  
ro) Famagustæ captus, ac im-  
prudenti ambitione in nostram  
Carvassaram ductus. Postridie  
osten-*

*ostenditur cadaver ejus Domi-  
nico Dragomanno , (sed non  
sine colli notis) ac sepelitur in  
sepulcreto Schiavorum Ma-  
hometis Bassæ. Et alibi: Hie-  
ronymus Magius ..... Eques,  
Venetorum Architectus bellicus  
Famagustæ in Cypro, Constan-  
tinopoli intempestivè liberatus,  
strangulari à Mahomete Bassa  
in carcere jussus. Illius autem  
memoriam inter hosce scri-  
ptores recoluimus, ob editum  
ab eo libellum de veteri Etru-  
riæ situ , dignum certè ejus in-  
genio argumentum , sed in  
quo melius se gesisset, si nun-  
quam in Pseudo-Berosum a-  
liosque Annianos autores im-  
pegiisset. Opusculum suum di-  
cavit amicissimo sibi viro Pe-  
tro Angelio Bargæo an. 1556.  
cujus*

cujus exemplar propria, ut vi-  
debatur, auctoris manu de-  
scriptum legimus Stochol-  
miæ, cùm ibi anno 1652. regiæ  
bibliothecæ post Naudæum  
præfecti essemus. Reliqua quæ  
scripsit, hîc subjicimus.

*De mundi exitio per exustionem  
libri quinque, Basileæ 1562.  
apud Henricum Petri. fol.  
Commentaria in quatuor insti-  
tutionum civilium libros,  
Lugduni 8.*

*Vitæ illustrium virorum aucto-  
re Āemilio Probocum com-  
mentariis Hieronymi Ma-  
gii, Basileæ apud Henricum  
Petri, fol. ex quibus multa  
Dionysius Lambinus auda-  
ter mutuatus est, ut notat  
Sweertius.*

*Della*

*Della fortificatione delle città  
di M. Girolamo Magi, e del  
Capitan Jacomo Castriotto  
ingegnero del Christianiss.  
Rè di Francia libri III. di-  
cati Francisco Turriano  
cùm effet Cæsareus Legatus  
Venetiis ab anno 1557. ad  
1559. sed Magii opus non  
prodiit in lucem ante an-  
num 1584. Venetiis. fol.*

*Miscellanea, sive variæ lectio-  
nes. Venetiis apud Jordanum  
Zilettum 1564. 8. Scripta  
post annum 1560. meminit  
enim *Misc. lib. 2. cult. Caroli*  
*Caraffæ Cardinalis*, qui eo  
\* anno carnificis manu in  
Ælia arce strangulatus fuit,  
& tamen *miscell. lib. 4. cap.*  
2. jam inde ab anno 1552.  
li-*

\* Noste quæ præcessat nonas Martii.

literis consignata, & editio-  
ni parata fuisse refert.

*De tintinnabulis liber posthu-  
mus cum Francisci Sweertij  
filij Antverpiensis notis. Ha-  
noviae 1608. 8.*

*De equuleo liber posthumus  
cum notis Gothofredi Jun-  
germanni. Hanoviae 1609. 8.*

*Reliqua, quæ enumerat Sweer-  
tius in Magii elogio, præfi-  
xo libello de tintinnabulis,  
edita non fuere.*

JUN-

# JUNGERMANNO suo SEGHETUS.

S.

**I**Am putabis , mi Iungermanne , te litteras à me è mediâ Britanniâ vel saltem è Belgio accipere . Ego vero è viciniâ scribo , ex Ubiis . Miraberis . sed desines mirari , cùm scies Rheno hactenus per asperrimam hyemem clauso , intutum undique terrestre iter à grassatoribus , quos ego tamen non fuissim moratus , nisi amici dissuasissent . Moræ tamen , quamquam ( si consilia mea spectes ) damnosæ , non pœnitet . Nam & cum viris doctis , qui hic multi sunt , sed parum noti , amicitiam contraxi , & memorabilia quædam vidi , & in manuscriptos quosdam Græcos incidi . Quorum aliquando ad te indicem mittam , nisi forte ab Amplissimo *Lingelshemio*

no-

nostro mavis petere , quicum supe-  
riore hebdomade communicavi. In-  
ter cetera venit in manus meas *Hie-  
ronymi Magii* meliore fortunâ di-  
gni viri De *Equuleo* liber. Eum  
ad te mitto à me descriptum , ut , si  
tantum supererit temporis ad nun-  
dinas , excudatur cum altero qui est  
De *TINTINNABULIS* , quem  
doctissimus *Schottus* subministra-  
vit. Spero ab optimo Marnio (ad  
quem hac eadem de re scripsi) im-  
petratum iri. & sanè libellus est exi-  
xiguâ mole , hujusmodi tamen qui ad  
alterius molem aliquid conferat. A-  
vebas scire quo fato deinceps *Ma-  
gius* usus fuerit. Gemens dicam ;  
imò alium patiar dicere. Is est *Ar-  
noldus Manlius Gandensis* vir do-  
ctus & diligens , qui eodem tem-  
pore Byzantii in Oratoris Cæ-  
farei contubernio medicinam fa-  
ciebat. In limine Magii libelli  
hæc Manlii manu adscripta sunt :  
*Hunc librum mihi reliquit D. Hie-  
ronymus Magius paucis post diebus ab  
impio*

*impio Mahomete Bassa strangulatus.*  
Const. 1573. In ejusdem ephemeridibus hæc sunt: 1572. 27. Martii nocte diei Iovis necatur in carcere Hieronymus Magius Eques, doctissimus, tormentarius Magister (ingegnero) Famagustæ captus, ac imprudenti ambitione in nostram <sup>a</sup> Caravassaram ducetus. Postridie ostenditur cadaver ejus Dominico <sup>b</sup> Dragomanno (sed non sine colli notis) ac sepelitur in sepulchreto <sup>c</sup> Schiavorum Mahometis Bassæ.

Hic fuit exitus memorabilis Viri,  
Utinam viveret *Manlius!* plura &  
certiora eruerem. Illum verò se-  
ptuagenario majorem ante quadri-  
mestre plus minus pestis sustulit.  
Sed mittamus funesta hæc, & vin-  
dicemus à morte *Magium*, quem alii  
à servitute vindicare grave for-  
tasse visum. Quærant alii & habeant  
famam suis laboribus, mihi satis est  
alienis

<sup>a</sup> Diversorium. <sup>b</sup> Interpreti. <sup>c</sup> Servorum.

alienis de hoc & postero ævo benè  
merereri. Vale mi Iungermanne, &  
quicquid isthic est communium a-  
micorum à me saluta. Ex A-  
grippinensi Coloniâ viii  
Id. Martii cl̄o Iō cviii.


Gregor.

HIE-

HIERONYMI MAGII  
DE  
EQUULEO

*Hactenus incognito Liber,*

Ad Illustriſſ. & Magnani-  
mum D. Christianiſſimi  
Gallorum Regis Ora-  
torem Byzantii.



HIERONYMI MAGII  
DE EQUULEO,  
*Hactenus incognito*  
*Liber*  
Ad Ilustrissim. & Magna-  
nimum D. Christianissimi  
Gallorum Regis Ora-  
torem Byzantii.

P R A E F A T I O.

**Q**UI carcere detinentur· aut durissimo servitutis jugo premuntur , Christianissimi Gallorum Regis O- rator amplissime , atque heros illustrissime , nihil mente fre- quentius agitare solent ; nihil secundum quietem saepius intue- ri , quam vincula , compedes , flagra , tormenta , secures , mor- tisque

tisque genera sævissima. Cùm enim hæc ipsis semper immineant, facile fit ut ea mente continuò volvant; & quando eos somnus amplexus fuerit, videre sibi persuadeant. Hoc & mihi è clade Cyprica superstici, atque asperrima servitute oppresso usuvenire nullo negotio existimare poteris: ut mirum sit, cùm antea in bonarum litterarum studiis enutritus, aliquid tale nedum perpeti, sed ne quidem intueri solitus fuerim, me jam dolore & mentis vexatione confessum apud mortales esse non desisse. Non solum autem quæ hodie sunt in usu tormenta, & mortis genera menti obversantur, mèque anxium nocte ac die perterrent, sed & quæ antiquis olim cognita jam aut omnino aut

partim in desuetudinem abierunt. Ex his mentem saepius subit & oculis quasi sese offert instrumentum illud tortorium, cui nomen est Equuleo, de quo crebro est in auctoribus mentio, praesertim in his qui nostrorum Martyrum vitas litterarum monimentis mandarunt. Quam obrem mirari subit, cur ad hanc usque diem nedum vulgo, sed & eruditissimis viris incognitum delituerit. Id ne etat in nostræ ac posteritati accidat, magnopere mihi laborandum esse duxi. Non eternis igitur horis, quas dominus Turca quieti indulgere sollet, (diurnis quominus quidquam libero homine dignum præstare possim, variis gravissimisque laboribus impedior) in ergastulo utcunque hac de re

com-

commentari ac scribere cœpi, ac  
tandem favente Deo factum est,  
ut librum absolverim, non eum  
quidem qui in conspectum tuum  
inquietas manus, Vir Genero-  
fissime, jure descendat (maxima-  
si quidem maximis tuique simi-  
libus viris, non ut hæc no-  
stra exilia minimaque, offerri  
solent ) sed eum tamen quem  
legisse haudquam pœniteat;  
nos enim, et si libris omnino de-  
stitutos, & in calamitate non  
vulgari vix mentis compotes,  
instrumento ut sævissimo, ita  
obscurissimis tenebris antea de-  
merso, lucem attulisse facile  
animadvertes. Interim verò  
dum leges, vernam hunc no-  
strum venientem, omni prorsus  
ornatu destitutum, à parente,  
ut à matre Judæum ( Mar-

tialis verbis utar ) rogare do-  
ctum, amplitudinem tuam obse-  
crare & obtestari scias, ut mibi  
aliquo pacto opem feras, meum-  
que hoc infortunium depellas.  
Hominem alicujus existimatio-  
nis, ut qui in litteris etatem  
consumpsit remque litterariam  
multis jam editis libris, nonni-  
hil promovit, ne destitutas ro-  
gat, ne in uno multos (quod  
sine arrogantia dictum sit) &  
multa perire sinas. Illud quo-  
que tibi in mentem revoca Gal-  
los (quod à Gulielmo Budæo  
eruditissimo viro adnotatum  
fuit) vel antiquissimis tempori-  
bus Philosophiae, ac litterarum  
bonarum fuisse amatores: bonas  
litteras in Gallia maximè flore-  
re; Gallorum Principes, ac  
tui simillimos viros, litteratos  
homi-

homines fovere consueuisse: è  
quibus unum minimè silentio in-  
volvam. Hic est Episcopus Cla-  
romontanus, cuius liberalitate  
*Angelus Caninius* civis affinis-  
que meus (ut est ab eo in præfa-  
tione in librum *Introductionis in*  
*linguam Syriacam & Punicam*  
*testatum*) aliquando in Gallia  
auctus est atque exornatus: cui  
tantum ille tribuebat, quantum  
nemini. Atque ut in am Italorum  
principes Galliæ Principum ac  
Dynastarum hac in re multisq;  
aliis similes essent! non enim lin-  
guæ latinæ candor non bonarum  
litterarum notitia aliò commi-  
grassent. Verùm, Heros amplis-  
ime, ac Patrone optime, hæc  
non eos spectare scias, ut Græcos  
Philosophos imitari velim: hos  
Cic. ait, stipē emendicare solitos,

*Latinos non item. Longè à pa-  
tria atque amicis dissitus, mu-  
tuis quibus redimar è servitute  
pecuniis non multis indigeo.  
Non sum erro, non decoctor,  
nullius crumenam exhaustire  
velim. Sed jam tempus est  
ut tibi Equuleum spe-  
ctandum pro-  
ponam.*

**D E**

# DE EQUULEO

*Hactenus incognito  
Liber*

HIERONYMI MAGII,  
Ad Illusterrimum Christianissimi Gallorum Regis Ora-  
torem Byzantij.

---

## C A P U T I.

*Instrumentum de quo agitur,  
cur Equuleus nuncupetur.*

**S**ÆPENUMERO natu-  
ram ad censuram vo-  
cari, & eo nomine ac-  
cusari animadverti,  
**O**RATOR AMPLISSIME,  
quod homini non solum bre-  
vem vitæ cursum præscripse-  
rit, sed ejusmodi corpus adstru-  
xerit quod innumeris morbo-

B ſ rum

2 *Hieronymi Magii,*

rum cruciatibus & tormentis  
vexari confueverit; ut non in  
vitam, sed potius in quandam  
carnificinam produxisse videa-  
tur. His ego haud facile assen-  
tior, quin rerum omnium pa-  
rentem clementissimam natu-  
ram & admiror & laudibus  
prosequor, quia cum morien-  
di sit nobis non injuriâ con-  
ciliata necessitas, ex immen-  
sa ærumnarum congerie citam  
vitæ brevitatem fugam præ-  
stiterit, angorésque & dolo-  
res accedere passa sit, ut his  
quibusdam quasi condimentis  
quod ultimum omnium ter-  
ribilium dixit Philosophus,  
libentius exciperemus. Hinc  
in dies usuvenit, ut qui dolo-  
ribus non vulgaribus morbo  
affecti

affecti excruciantur, mortem  
quasi præsentaneum remedi-  
um ac pharmacum ultro accer-  
fant, & cum Plinio affirment,  
homini nihil vitæ brevitatem  
melius esse à natura tributum.  
Qui naturam, quæ nobis mor-  
bos corporis tortores sævissi-  
mos adjuñxerit, accusant, vi-  
deant ne homines nonnullos  
potiùs accusare & maledictis  
proscindere oporteat, qui in  
magno humani corporis do-  
lorum & veluti carnificum  
proventu, varia excogitarunt  
organa, multiplicesque adin-  
venerunt artes, quibus homi-  
nes torquerent, excarnifica-  
rent, & per summos cruciatus  
enecarent. Horum omnium  
longè sævissimum illud esse

4      *Hieronymi Magii,*

instrumentum conjecturâ du-  
eti existimamus , quod *Equu-  
lei* nomine scriptores appella-  
runt , & de quo præsentem in-  
stituimus tractationem. Eam  
ob rem equuleo sæpe Marty-  
res sanctos constat esse vexa-  
tos , & sævissimos Tyrannos  
equuleos usurpasse. Cur autem  
dicatur *Equuleus*, nemini (o-  
pinor) est notum. Ego ea de  
causa hoc nomine significatum  
existimaverim , quod parvi e-  
qui, seu pulli equini effigiem  
repræsentaret. *Equuleos* au-  
tem equinos pullos nuncupa-  
ri, nemini est obscurum, & qui  
infrà à nobis hujus instrumenti  
\* delineatam formam intuebi-  
tur , nobis haud ægrè assentie-  
tur. Ratione non absimili Ita-

\* Non exstat.

lorum

lorum vulgus lectorum fulcra,  
quæ quaternis pedibus inni-  
tuntur, *cavallettos* dicit, quasi  
Latinè voces *equuleos*: eodem-  
que nomine appellat scamna  
illa quibus insident, & in qui-  
bus versantur minoratormen-  
ta ignivoma. Poterat & con-  
dignè *scamnum* appellari, ex-  
emplo Hippocratis medici,  
qui non diversum admodum  
ab equuleo nostro organum à  
ſe excogitatum *scamnum* vo-  
cavit, cuius etiam \* formam  
inferiùs suo loco appingemus.  
*Equuleum* autem cum litera Q  
& duplici V, ex recepta con-  
ſuetudine, cui assentiri par est,  
non autem cum littera C, &  
simplici V, scribimus. Quam-  
quam non me latet antiquos

\* Non exstat.

6 *Hieronymi Magii,*  
*Eculeum* dixisse, quemadmo-  
dum & *Ecum* pro *Equo*, *Co-*  
*cum* pro *Coquo*, & reliqua si-  
milia,: ut apud Lucretium,  
& in antiquorum, quæ hodie  
supersunt, monumentis fuit à  
nobis aliquando observatum.  
Quo fit ut non facilè assentiar  
Jodoco Badio non infimæ  
classis Grammatico, qui in  
Commentariis suis in Horati-  
um, *Equuleum* rectè, *Eculeum*  
barbarè scribi affirmat.  
Si enim *Eculeum* dixerimus,  
quod nonnulli fecerunt, non  
barbarè sed antiquorum more  
loquemur. Sed hæc satis aperta  
sunt. Nunc quid homines do-  
cti, & superiorum sæculorum  
scriptores, de hoc instrumen-  
to senserint, & in quanta er-  
roris

roris caligine versati sint, despiciamus.

C A P. II.

*Laurentii Vallæ de Equuleo  
sententia.*

**L**AURENTIUS Valla homo doctus, qui primus Latinam linguam barbarie Gotica demersam fœdatamque repugnare, & primævo candori restituere aggressus est, ut est elegantium verborum consecutore egregius, ita nonnunquam antiquitatum explicazione hariolus mendax. Quām turpiter de Regionibus urbis Romæ mentiatur, antiqui lapidis Capitolini monumentis, alias demonstravi ; ut qui censor prædurus in omnes auctores extitit, & mortuus humum

8 *Hieronymi Magii,*

humum quoque mordere ( si Alciato credimus) dictus sit, ea de causa acerrimæ reprehensionis notam subeat. Hic igitur libro primo Elegantiarum in eo capite, in quo de fide & fidibus loquitur, ait fidiculas fuisse instrumentum tortorium, quod olim fieret duobus lignis transversis: hæc enim ipsius sunt verba. Fidiculae autem, ut infrà sumus ostensuri, idem sunt cum equuleo. Sed quæ similitudo duobus lignis transversis cum fidibus, aut cum equulei organo? Mirari satis nequeo unde hic auctor transversorum lignorum commentum desumpserit. Equuleum autem cum fidibus similitudinem quandam ha-


habuisse, inferius quisque videre poterit. Sed & cur sua etate equulei usum non agnoscit Valla? siquidem apud Gallos atque Hispanos, ut multarum antiquitatum, ita & equulei, quod infra apertum reddemus, inventum atque usus semper mansit, atque hodie viget, quamquam non *equuleum* vocant, sed Galli *Gen-nam*, Hispani, voce instrumento admodum congruente, *Pul-liedro*: quo nomine & pullum equinum vulgo appellant.

## C A P. III.

*Quid Raphaël Volaterranus  
de Equuleo scriptum  
reliquerit.*

R A P H A E L I S Regii Vola-  
terrani, viri d e re litteraria  
bene meriti , Commentaria  
Urbana omnium manibus ,  
quòd bona fruge referta sint ,  
hodie teruntur. In his ille è re  
nata de equuleo loquitur , at-  
que ait , fuisse illud tormenti  
genus , quod nostra ætate ma-  
ximè usurpant latruncula-  
res & magistratus , quibus in-  
quirendi facultas conceditur ,  
quod *funis* nomen habet. In  
hoc enim homines brachiis  
post terga revinctis , funique  
per

*Pag. 10.*





per trochleam transducto alligatis sustolluntur, & mox pendentes statim demittuntur, ut his brachia ponderis vi, quam humeris junguntur, facilè luxentur, cruciatu mehercle magno. Sed scopum non attigit vir alioqui ingenii perspicacis: siquidem Seneca in epistolis ipsi non parum adversatur; nam de nescio quo homine ait, *In equuleo longior factus.* & auctores qui de equuleo faciunt mentionem, non semel ajunt, *Conjectus in eculeum.* Qui verò hodie vulgato cruciatus genere fune torquentur, quomodo longiores fiunt? quo pacto conjiciuntur in aliquod vas aut instrumentum capax? Sic enim loqui con-

12 *Hieronymi Magii,*

confuevere auctores Latini,  
*conjectus in dolium ferreis clavis præfixum; conjectus in arcam; conjectus in lebetem.* Et de his qui detruduntur in locum aliquem similiter capacem: *Conjectus in carcerem: conjectus in fornacem: conjectus in latrinam:* quæ loca conjectum excipere & continere possint. In vulgato autem funis tormento qua ratione id fieri aut exprimi possit, non equidem video. Funis siquidem pendet è trochlea, cui alligantur manus torquendi, & nihil est quod torquendum excipiat; quod omnibus notum est.

C A P.

C A P. IV.

*Juris Cæsarei & Pontificij  
interpretes Equuleum mi-  
nimè novisse.*

IN Justiniani Imperatoris Augusti Codice sub titulo De Ariolis & Mathematicis, fit equulei mentio his, si rectè memini verbis : *Equuleo de-ditus, ungulis latera sulcanti-bus, perferat pœnas, &c.* Cujus vocis significatum ad eum locum Accursius interpres omnino ignorans, sicco pede prætergressus silentio involvit, in ejusmodi antiquitatibus hallucinari, & Andabatarum more, ut proverbio fertur, pugnare solitus. Injure quoque Pontificio non semel Equulei men-

mentionem esse factam ani-  
madverti , & Glossularium  
somnia mera in vocis explica-  
tione afferre , quæ si memoriâ  
tenerem , hîc referre non gra-  
varer , ut quantum ille à vero  
aberraverit , unusquisque pos-  
set intelligere.

## C A P. V.

*Andream Alciatum, & Hiero-  
nymum Cardanum Equu-  
leum ignorasse.*

**D**I VINI & humani juris  
interpretes Equulei in-  
strumentum ignorasse , nemini  
mirum videri debet ; siquidem  
humaniorum literarum exper-  
tes & alia hodie cuivis obvia &  
cognita

cognita ignorarunt, ut eorum sæculum non ipsos accuses. Sed quid de Alciato eruditissimo viro loquar, qui Jano Parrhasio præceptore antiquitatum omnium peritissimo usus, & in mitioribus studiis plus quam par esset versatus, usque adeò ut à juris notitia non nihil ea de caussâ saepius exciderit, hujus organi tortorii significatum non est assequutus. Nam in libris suis de verborum significatione, Equuleum pro funis tormento non sine errore magno accepit. Hieronymum Cardanum Philosophum & Medicum, multis editis libris maximè illustrem nostræ ætatis scriptorem, & qui autores

16 *Hieronymi Magii,*  
etores omnes scrutatus esse vi-  
detur, in ejusdem instrumenti  
ignoratione versari satis mirari  
nequeo : quandoquidem in  
libris de Varietate rerum facta  
Equulei mentione, vulgatum  
funem tortorium non sine er-  
rore esse dicit.

## C A P. VI.

*In Calepini Lexico quæ expli-  
catio Equulei legatur*

A MBROS IUM divi Au-  
gustini fratrem cuculla-  
tum, ab oppido in quo natus  
est *Calepinum* nuncupatum,  
Græcarum litterarum omni-  
no expertum, & humanioribus  
litteris vix tinctum, omnium  
scriptorum fortunatissimum  
dicere

dicere soleo, quòd cùm Latinum lexicon Græcorum exemplo edidisset, non id quidem quod à doctis legeretur, sed ab his qui in Grammaticorum scholis adhuc versarentur, inornatum, aridum, & exemplis è sacræ scripturæ interpretibus saepius quàm à Cicerone depromptis refertum, doctissimorum postea viorum curâ atque operâ factum est, ut hoc opus ad immensam magnitudinem excreverit, ut iure Calepon, id est *grave*, dici possit; & copiâ verborum vocumque non sine elegantia satis expletum jam non à pueris modò sed ab omnibus legatur, ut nullus sit, qui non Calepino aut palam aut tecte ho-

18 *Hieronymi Magii,*

die utatur. Tandem enim Gef-  
neri & Manutii additamentis  
& castigationibus ita auctum  
atque exornatum prodiit in  
lucem, ut nihil in eo desidera-  
ri posse videatur. In hoc ta-  
men, in voce *Equuleus*, legitur  
hoc instrumentum nihil aliud  
fuisse, quam laminam ferri  
ignitam, quam homines torque-  
ri consuevissent. Sed per Deum  
immortalem quid potuit dici  
insulsius? Quid laminæ ignitæ,  
cum parvo equo sive pullo e-  
quino commune? Hanc expli-  
cationem nullus à risu defen-  
det. Eum autem, qui talia scri-  
psit, è deceptum fuisse arbi-  
tror, quod Valerius Maximus,  
& Fabius Quintilianus, ubi de  
*Equuleo* mentionem faciunt,  
&

& laminæ ignitæ cudentis-  
que meminerint. Sed quo pa-  
cto laminæ ad Equuleum spe-  
tarent , inferius à nobis de-  
monstrabitur.

C A P. VII.

*Qualem Pictor Brixiae equu-  
leum picturâ expresserit.*

B RIXIAE urbe Italiæ flo-  
rentissima, ut Bernardinus  
Felicianus vir eruditissimus &  
mihi longè charissimus retu-  
lit , visitur hodie pictura su-  
periorum sæculorum, quæ an-  
tiqua dici potest , expressum,  
quo pacto sanctus nescio quis  
Martyr tortus olim fuit equu-  
leo. In ea pictor Martyrem  
equo ligneo eo more insidere

C 2                   facit,

facit, quo solent qui equis vē-  
hūnt. Pedibus tamen Marty-  
ris funes alligantur, qui per  
trochleas dūcti, ac tympanis  
versatilibus tensi tibias pedeſ-  
que deorsum trahunt ac pro-  
ducunt, ut præter coxendices,  
tibias, & pedes reliquum cor-  
pus nihil patiatur. Quam pi-  
cturam in charta lineis repræ-  
sentatam cùm Venetiis an-  
nis superioribus conspexisset  
Franciscus Spinola poëta non  
omnino spernendus, per bi-  
bliopolarum tabernas ober-  
rans plausu sanè magno affir-  
mabat, se tandem veram equu-  
lei picturam spectasse, pul-  
chramque antiquitatem co-  
gnitam habere mihi tamen  
qualis ea esset, aperire noluit,  
quasi

quasi esset aliquid ea de re  
mox in lucem editurus , qui  
tamen postea præter libellum  
de ratione intercalandi , &  
Carminum, Odarum ac Epi-  
grammatum volumina ali-  
quot , nihil cùm edidisset ,  
Venetiis hæreseos damnatus  
mari demersus est.

C A P. VIII.

*Qua voce Græci hujusmodi in-  
strumentum significant. Scho-  
liaſtes Aristophanis & alii  
reprehensi.*

**Q**UEM Equuleum Latini  
noſtri vocant, Græci  $\pi\mu-$   
 $\pi\alpha\omega\nu$  dixerunt. Quod eo instru-  
mento infligitur tormentum  
cùm significare volunt,  $\pi\mu\pi\alpha\nu$ .

ꝝ. dicunt, ut cùm apud alios  
Græcos scriptores, tum apud  
Julium Pollucem in Onomasti-  
co quisque videre potest. Ari-  
stophanis antiquus interpres,  
vir alioqui non indoctus, in  
Plutum non sine errore maxi-  
mo scriptum reliquit, Tympano-  
num, id est Equuleum, lignum  
fuisse quo verberabantur son-  
tes à carnifice. Quem sequutus  
est Rodulphus Gualtherus in  
quibusdam in Julium Pollu-  
cem, quem ipse Latinum red-  
dedit, annotationibus. Eodem  
luto hæsit Scholia stis vetustate  
& auctoritate ductus Carolus  
Sigonius vir doctissimus, &  
amicus meus, in libris de Repu-  
blica Atheniensium. Sed quid  
ligno aut fusti cum equo parvo  
&

& versatili tympano? Nisi fortè antiquus ille interpres tympanum dictum, quòd in tympani morem tunderentur hoc ligno fontes, existimaverit; aut ejus contextus sit lacunosus & depravatus, ut ille in hanc sententiam loquutus sit; Tympanum est instrumentum ligneū, in quo distenti cædebantur & vapulabant fontes. Non enim sit mihi verisimile, illum instrumentum quod sua ætate maximè esset in usu, ignarum fuisse. Sed suo quisq; utatur arbitrio: volumus namque, ut par est, judicia esse libera. Si autem à tympano sumpta similitudine fuisse illum sic dictum censuit, respondeo non fusti id nominis congruere, sed fontibus.

## C A P. IX.

*Divus Ioannes Chrysostomus  
& Theophylactus verbum  
Tυμπανίζω quomodo ex-  
posuerint.*

**D**I V U S Paulus sanctorum virorum mortes ac tormenta, quæ propter Christi fidem pertulerunt, enumerans, ait, ἀλλοι δὲ ἐπιμπανίσθησαν. id est, *Alii autem tympanizati vel extensi sunt.* Ad quem locum Theophylactus Græcus interpres, & ante Theophylactum Joannes Chrysostomus sanctitate vitæ & eruditione planè admirandus, inquit, significari crucis tormentum, in quo ille distenderetur. Sed aliquis fortasse

tasse dixerit, se non videre quo pacto & hic cruciatus cum equulei sive tympani tormento conveniat: nam qui cruci olim affigebantur, etsi porrectis extensisque pedibus, & passis brachiis consistebant, ut in sanctissimi Servatoris nostri imagine animadvertissemus, nullibitamen legimus eorum tibias vel brachia tympanis tendi consueuisse, aut ea de causa cruci addictos fuisse ut distendendo trahendoque torqueantur. Ea tamen explicatio multis plausibilis fuit.

## C A P. X.

*D. Thomam à Theophylacto & D. Ioann. Chrysostomo dissentire. Thomæ sententia combrobata, quod sit Græco verbo congruens.*

**D** Thomas Aquinas, qui propter reconditam doctrinam & quasi è cælo & Angelis desumptam, *Angelici cognomentum* adeptus est, à prænotata Theophylacti & Chrysostomi sententia non parum discrepat. Inquit enim in commentariis suis ad eum Pauli locum, per verbum illud ἐνυπαντίθησαν, id est, *tympanizati vel distenti sunt*, significari eo loci Equulei cruciatum.

Cujus

Cujus sententiam nemo non plausu excepturus est, qui nostram de Equuleo explicacionem legerit. Quamobrem facile crediderim spiritu Dei Thomam potius afflatum, quam Græcorum Ethnico-rumque auctorum, quos contempsit, scriptis admonitum talia protulisse. *πυπανίζεσθαι* autem dicunt Græci de his qui in Tympano torquentur, quod in tympanitensilis & pulsatilis morem eorum corpora quæ torquebantur in equuleo distenderentur, & tympanis versatilibus in equuleo locus esset, unde & *πύπανον* hujusmodi organum dictū à Græcis. *Tympana* verò appellant Mechanici, ut patet apud Vitruviū. Oribasius

sium & alios , axes quorum capita foramina habent , quibus induntur vectes , quò faciliùs versari possint , iisque funes advolvantur , quibus pondera vel protrahuntur vel sustolluntur , ut ergatas non ad pendiculum , ut fit , consistentes esse dicas , sed jacentes potius . A verbo Τυμπανίζω vel à Tympano pulsatili & tensili , vel à tractorio versatili que quod tendat , apud Paulum Æginetam , & alios Græcos Medicos dicitur *tympanitis* hydropis species illa flatuosa quæ in tympani morem tumentem uterus distendit , ut instar tympani pulsatilis sit .

C A P. XI.

*A quibus Equuleus fuerit ex-cogitatus.*

**Q**uis autem tormenti genus, de quo agimus, exco-  
gitaverit, non facile dixerim,  
auctoribus quos mihi legere  
contigit hac de re nihil pro-  
dentibus. Animadvertis tamen  
apud Ciceronem in Tuscula-  
nis Quæstionibus, ut arbitror,  
& apud alios literis proditum,  
**G**ræcos Equulei fuisse ut re-  
rum multarum auctores. Pro-  
fectò machinarum pæne om-  
nium Græcos extitisse aucto-  
res nemo non affirmabit, qui  
Vitruvium, Oribasium, He-  
ronem, Pappum, Bitonem  
&

30 *Hieronymi Magii,*  
& Athenæum legerit, ut miram hujus nationis solertiam,  
quæ tamen hodie interiit, maximè suspicias, admireris, &  
laudibus prosequaris. Adde  
quòd apud Græcos sævissimi  
Tyranni rerum sunt potiti, ut  
horum imperio Mechanico-  
rum auëtam fuisse industriam  
credere possis, eoque prove-  
ctam, ut equuleos & alia tor-  
toria organa in eorum gra-  
tiam adinvenerit. Sed jam ad  
Equuleum nostrum acceda-  
mus.

CAP.

C A P. XII.

*Auctoris de Equuleo sententia.*

**E**Quuleum ego credide-  
rim fuisse ligneum scam-  
num sive ligneam arcam pedi-  
bus quatuor.

\* *Reliqua deerant: quæ tamen re-  
stitui posse in parte videntur ex schedis  
adjectis auctoris manu descriptis. Con-  
tinebant illæ totius quasi operis mate-  
riæ paucis. Nos ea modò censuimus  
adjicienda quæ deerant. ex fragmenti  
mole videntur tot capita fecitura fuisse  
quot præcessere. Lector hæc boni consu-  
lat, sciatque quòd raptim scripta hæc  
erant, multum nobis difficultatis obor-  
tum in legendo, adeò ut in nonnullis ex-  
pedire nos nequiverimus. Iis tale signum  
additum est\*. Ceteras lacunas auctor  
ipse libris destitutus reliquit.*

Sed

Sed jam ad Equuleum propius accedamus. Equuleum existimamus fuisse ligneum scamnum sive ligneam arcam pedibus quatuor ligneis consistentem fundoque carentem, quæ utrimque capiebat tympana & funes quibus manus pedesque fontium & torquendorum obligarentur & protraherentur, non sine magno, ut conjecturæ locus est, dolore totius corporis. Quamobrem Seneca inquit loco prænotato, *In Equuleo longior factus est.* re manifestum hoc pacto ossibus è compage motis solutisque, corpus productum fuisse. In hoc pendere solebant, quia suspensi aëre in vacuo, corpore eo pacto extenso, non è simplici

plici fune ad perpendiculum,  
ut alii censem. Equulei au-  
tem nomen huic instrumento  
congruere quis non videt,  
cùm & hodie scamnis quibus-  
dam ..\*.. jam antè consiste-  
bant & volvebantur, *cavaletti*  
appellantur , & eodem no-  
mine significantur scamna  
parva quibus lecti sustinen-  
tur.

Adde quòd Aurel. Pruden-  
tius poëta Christianus, in mar-  
tyrio Romani & Vincentii  
sanctitate non vulgari homi-  
num, optimè hujusmodi in-  
strumentum appingere vide-  
tur, & in quo *divaricatis cru-*  
*ribus* (ut ejus verbis utar)  
confi-

\* Quæ absunt hīc legi non poterant  
in autographo.

34 *Hieronymi Magii*,  
consistere tortos demonstrat,  
& etiam *fidiculas* appellat,  
non solum *equuleum*.

Valerius Maximus de.....  
*laxavit equuleos*, *laminas extinxit*, &c. Quo pacto autem  
laxari poterat funis, si funis  
tormentum esse velimus, &  
laminæ extingui.

Quintilianus in declama-  
tionibus ubi de filio à patre  
torto per injuriam maximam  
agit, non nihil appinxit equu-  
leum. inquit enim, senem arti-  
ficem equuleos movisse, & co-  
rio filii corpus totum compa-  
ge solutum. in primisque me-  
minit laminarum & flagello-  
rum. Funis autem tormentum  
qua ratione moveatur,  
scimus, non arte ulla, sed tra-  
hentis

hentis manu, & totius corporis compagem solvere non animadvertisimus. Brachia solum laxare scimus quæ humeris spatulisque junguntur.

\* *Fidiculas* equuleum appellasse Prudentium poëtam diximus. Sed erit fortasse aliquis qui hoc neget, existimans diversum tormenti genus fuisse. Ego idem fuisse dico & affirmare velquovis pignore ausim, quod Suetonii auctoritate demonstro. inquit enim in Caligula Imp. illud quoque tormenti genus excogitasse, ut larga meri potionē oneratos & veretris deligatis simul & urinæ

\* *In margine hac erant:* Non sine similitudine fidium sicut illæ clavicolis sive pectinibus tenduntur, &c.

36 Hieronymi Magii,  
*urinæ & fidicularum tormento*  
*distenderet, & affirmasse etiam*  
*se de uxore fidiculis exquisitu-*  
*rum cur tantopere eam dilige-*  
*ret. Sed apud illum poëtam*  
*non obscurè me à veritate non*  
*aberrare potes cognoscere lo-*  
*cis prænotatis. Sic apud Jure-*  
*consultum ff. .... & C.*

Hodie servatur antiquum  
instrumentum apud Hispanos  
& Gallos. Hi *Gennam* vocant,  
Hispani *Pulliedro* voce melio-  
ri. equuleos enim *Pulledros*  
& Itali vocant. Visiturque hu-  
jusmodi tormentum Neapoli  
in arce ab Hispanis inventum,  
quo in inquisitione criminis  
læsæ majestatis solùm utun-  
tur. Joan. Vinc. Pinellus no-  
bilissimus atque eruditissimus  
vir

vir pollicitus est aliquando se curaturum ut ego delineatum illud conspicerem.

Magnam similitudinem habebat cum scamno Hippocratis, ut videre est apud Hippocratem in lib..... & apud ...\*... quatuor enim habet pedes, & tympana continet quibus humani corporis membra trahi & tendi possint, si quando fuerint locis suis dimota ...\*... que.

Equulei autem pœnam servilem appellat Prudentius, eò quòd nobiliores & ingenui non poterant eâ torqueri, ut patet apud Iustinian. C..... & in ff. ubi de Decurionibus & in tit. de pœnis.

Qui

Qui autem in equuleo torquebantur, non solum distendebantur, sed etiam alios cruciatus patiebantur. nam flagris cædebantur. Unde Quintil. ait loco prædicto, *per flagella, per verbera*, loquens de equulei tormento.

Item laminis ignitis torquebantur. Quamobrem Valerius Maximus ait, *Extinxit, laminas, laxavit equuleos.* Quintilianus quoque ait, *Accendis laminas, &c.*

Adde quod & ungulis ferratis eorum cutis solebat laniari qui in equuleo torquebantur. Unde Justinian. de Mathem. in C. ubi ait, *sit equuleo deditus & ungulis latera sulcantibus scelere dignas perferat pœnas.*

Sed

Sed jam equuleum picturâ  
exprimamus.

\* *Pictura in manuscripto non extabat.*

*In martyrum vitis, suspensi  
in equuleo. Cic. Virtus in equu-  
leum non conjicitur.*



\* *Quod*

\* Quod non ingratum Lectori fore credidimus aliquid etiam de auctoris infortunio nosse, visum est & hanc epistolam cum ceteris repertam addere. Usi autem in omnibus eâ fide, quâ alios in nostris uti vellemus.

*Al. R<sup>mo</sup>. D. Commissario in S. Iac<sup>o</sup>.*

R<sup>me</sup>. Domine & Pater in Christo.

**N**eminem adhuc allocutum esse Dominum meum, miror vehementer. Quamobrem suspicari cœpi nuntium non satis diligentie in perquirendo adhibuisse. Dixi aliâs, Domini mei domum esse non longè sitam ab Ecclesiâ Turcicâ, sub qua fons est aquæ salientis, non puteus. Ecclesiam esse parvam, parvamque habere turriculam. Domum habere in strata scalam ligneam graduum quatuor. Nunc illud addo, domum non esse in planicie, sed in latere montis, vulgo nella Costa & Dominum meum esse Comitem Mahonæ, qui omnibus in vicinia notus sit. est enim proceræ staturæ. Singulis diebus ante solis ortum proficiscitur in navale, eò quod præfectus sit confiendæ Mahonæ

vel

*vel resarciendæ. Redit domum dun-  
taxat sole occidente, aut paulò citius  
interdum. si nuntius domum inveniat,  
alloquetur ejus uxorem, ut vir illius  
scilicet Dominus meus vel hora sta-  
tuenda eum expectet, vel nuntium con-  
veniat, nam libenter ille Galatam solet  
proficisci, quod ibi sororem habet. Si  
more nationis magnam petat pecuniam,  
quid sit respondendum nosti. Ad hæc  
scias me illi jam in Mahona dedisse du-  
catos 60 Venetos Argenteos, ut si inter  
constituendum pretium illum alloqua-  
ris, nuntio minime intelligente, possis  
ei dicere; Et illud addere, me non  
esse pugnando ab eo captum, ideo non  
debere ad vivum secare, cum sim pau-  
per, omniaque Cypri amiserim. Si di-  
cat se intellexisse à quodam \* sclavo, cu-  
jus patria meæ patriæ vicina sit, et qui  
apud me Cypri manserit, intellexisse.  
inquam, me habere ipervoglia Et do-  
mos; dicas hoc esse falsum. Siquidem  
qui hæc habent, non eunt parvi lucri  
caussa in longinquas partes, eum qui*

D dixit

\* Servo.

*dixit talia mihi esse hostem quia nolui  
illi donare ducatum quem petiit in  
Mahona. Demum, si aliquid adden-  
dum sit, adde, nam mutuum non do-  
num, quamquam hoc mutuum mihi  
est tanquam donum & tanquam eleë-  
mosyna. Principium hoc operis ostende  
Oratori & Eripe me his invicte ma-  
lis, ut sic cum Palinuro Virg. canam.*

**THO-**

*THOMAS SEGHETUS*  
*L E C T O R I .*

**D**E Equuleo quid ipse di-  
dicerim , paucis addam.  
Ante aliquot annos iter susce-  
perunt visendæ Galliæ Cisal-  
pinæ Amplissimi & de me o-  
ptimè meriti viri **A N D R E A S**  
**M A U R O C E N U S** Senator &  
Historiographus Reipublicæ  
Venetæ & *managlans* **B E N E D I-**  
**C T U S G E O R G I U S A L O Y S I I**  
Procuratoris F. Bibliotheca-  
rius, summâ uterque doctrinâ,  
humanitate , prudentiâ. ade-  
ram itineris comes & ego.  
Mirandulæ cùm in arcem de-  
ducti fuissimus spectavimus  
tormenti genus ex asseribus  
compacti in morem adamant-  
is accuminati effigitatum.

**D 2**      **Huc**


Huc tamquam in equum conjiciebantur rei nudi ita ut acumen premeret partem illam quæ honestè nominari nequit, distentis per pondera manibus pedibusque, quo graviores insiderent. Præclari illi viri *Equuleum vocavere, & Cavallettum*, (quod idem est) Italici dici affirmarunt. Eorum ego sententiæ accedo. Alii æstiment an jure. Forma talis est.

*Adamantinum Segheti Equuleum Mirandulanum hic habes Figura A. expressum, quæ in prima editione satis obscurè apparebat, adeò ut fuerint non vulgaris doctrina Viri qui expingendum putabant, eo, quo in figura B. expressissimus modo, nobis prior placet, tu lector elige.*

A



B



GOTHOF. JUNGERMANNI

N O T A E

*Ad libellum*

HIERONYMI MAGII

D E

E Q U U L E O.



GOTHOF. JUNGERMANI

N O T A E

*Ad libellum*

HIERONYMI MAGIT

D E

E Q U U L E O.

*Ad Inscriptionem.*

 UERAS in ipso limine & aspectu statim libelli non frustrà, M I L E C T O R, de nomine illius, cui M A G I V S inscripserit commentariolum suum. Quod igitur ad locum vacuum attinet post illa verba, *ad illu-*  
*striss. & magnanimum Dominum,* no-  
stro Segheto videtur h̄c spatium re-  
lictum nomini Oratoris. & reperire  
se ait in Ephemeridibus Arnoldi  
Manlij, ( qui eodem tempore, quo

D S Ma-

Magius Byzantij servitutem serviebat, medicinam faciebat in familia Oratoris) *Franciscum de Noailles Episcopum Aquensem fuisse eo tempore Oratorem.* Nec dubito quin verè ipsi ita visum, veraque reppererit: præsertim quum à viro quodam amplissimo, super ea re amplius inquirens, per litteras fuerim edoctus, Iac. Aug. Thuanum, historicum ævo hoc nostro principem, scribere, anno M. DLXXIII. & sequenti illuc missum fuisse Franciscum Noallium, Aquensem apud Tarbellos Episcopum, regium in porta Othomanica Oratorem: cui postea successor missus Constantinopolim frater Ægidius Noallius fuerit: idque evenisse illo ipso anno MDLXXIII. invenire se apud Ioannem Chœnium (qui legationem Monlucij ad Polonus scriptis mandavit) qui Oratorem illum nominet, *Monsieur Dacqs,* id est Aquensem: eius verò fratrem successorem, Abbatem Insulanum,

*l'Abbé*

*l'Abbé de l'Isle.* se itaque cum Seghe-to nostro existimare, Aquensi Episcopo Fr. Noallio inscriptionem illam omnino deberi. Eodem autem modo in ea, quæ præfationi superposita est inscriptio, nomen omissum, & locus relictus vacuus. Cur non addiderit Magius, verisimile est ideò accidisse, quod illi de legati nomine non liquido constaret. Et, ut omnia bona fide repræsentemus, sicut ad nos Seghetus noster misit, ipse libri titulus ita erat descriptus.

\* Hunc librum mihi reliquit D. Hier. Magius paucis post diebus ab impio Mahomete Bassa strangulatus Constantinop. 1573.

HIERONYMI MAGII  
DE EQUULEO

*Hactenus incognito Liber,*

Ad illustrissimum & ma-  
gnanimum dominum Christia-  
nissimi Gallorem Regis Ora-  
torem Byzantii.

\* Sum Arnoldi Manlii Constantinop. 1573.

**S**Ic pagina prima, frons ipsa li-  
belli, habebat, ubi asterisco no-  
tata, tam summâ quâm infimâ pagi-  
nâ (quæ litterâ minutiore hîc exeu-  
fa vides) manu Arnoldi Manlii de-  
scripta fuisse, cetera, quæ in medio,  
ipsam nempe opusculi inscriptio-  
nem, ipsius Magii esse, Seghetus  
noster indicavit. Septuagesimo ter-  
tio post millesimum quingentesi-  
mum à Christo nato annum, Ma-  
gium strangulatum credere inclinat  
animus, quòd idem annus etiam di-  
fertè

fertè ad frontem libelli, quam hīc exhibui, à Manlio adnotatus fuit. Sed mehercle vereor, ne nos curiosos dicas nimis: ad præfationem igitur rectà & libellum ipsum.

## AD PRÆFAT.

*Clade Cyprica superstiti]* Vide Hier. Magii vitam, quam eruditiss. Francisc. Sweertius, quem honoris causā nomino, nostri auctoris libello de Tintinnabulis, anno priore ex ipsius recensione edito, præfixit.

Ibidem. *Vt à matre Indæum]* Martialis versiculus libro 12. epi-grammat. 57. ad Sparsum :

*Nec turbaceffat entheata Bellonæ,  
Nec fasciato naufragus loquax trun-  
co,*

*A matre doctus nec rogare In-  
dæus, &c.*

*Episcopus Claromontanus]* Eum di- dici *Gulielmum Pratensem* vocari à Thuano, historiarum libro 13. an- no 1554.

## AD CAPUT I.

Pag. 1. Quod homini non solum brevem vitæ cursum] Ut Theophrastus moriens accusasse naturam dicitur, quod cervis, & cornicibus vitam diutinam, quorum id nihil interesset: hominibus, quorum maxime interfuerit, tam exiguam vitam dedisset, &c. quæ ait Cicero 3. Tuscul. quæst.

P. 2. Quod ultimum omnium terribilem dixit Philosophus] Aristoteles nimicum Ethic. Nicom. l. 3. cap. 6. φοβερώτατον δέ οἱ Γάιας τῷ πέρης γάρ.

Pag. 3. Et cum Plinio adfiment] Lib. 1. cap. 1. Natura verò ait, nihil hominibus brevitate vitæ præsttit melius.

P. 4. Martyres sanctos] Locorum planè sylvam habes in Gallonii libro de SS. Martyrum cruciatibus.

Ib. Ego ea de causa hoc nomine] Machinæ istius appellationem à parvis equis translatam, nomen sanè ipsum pro-

prodat, si id rei debet convenire suæ. nec de eo viros doctos jam olim puto dubitasse, quamvis de ipsa strutura & vera forma eculei dissenserint, nec perinde notam habuerint. Fr. Hotomanus lib. 5. antiq. sub littera E : *Equuleus vel Eculeus, stipes censemur fuisse, in equi formam incisus, cui imponebantur rei, ut nervis utraque ex parte distentis cruciarentur.* &c. A. Turnebus lib. 4. Advers. cap. 3. *Eculeus stipes erat cui velut equo, imponebantur, ac varie torquebantur, cruciabantur, & distendebantur.* &c. & lib. 15. cap. 16. *Equuleus tormenti genus est à similitudine nomen habens, quasi parvus equus sit.* erat autem machina lignea equo similis, cui imponebantur, qui torquebantur. &c. Inde G. Fabricius in suis Comm. in poëtas Christianos, ubi *Eculeum exposuit stipitem quendam, in quo rei suspendebantur, Quærendum, ait, num ejusmodi machina fuerit, de qua præcipitarentur son-*

*sontes, quam Saxones das Rössle no-*  
*minant, quasi parvum equum. Sic alii*  
*partim putarunt δέπτης & à*  
*forma equina dictum eculeum;*  
*partim à modo insidendi, quod eo*  
*tomento non secus rei insiderent, ac*  
*si equo veherentur.*

*Cujus etiam formam inferius]. De-*  
*lineationem se non repperisse testa-*  
*tus est ad oram Seghetus noster.*  
*Remittit autem Magius nos ad ca-*  
*put ult. sui libelli. Sed nec Hippo-*  
*crates Latina voce *Scamnum* appel-*  
*lavit umquam: nec ab eo excogita-*  
*tum volunt ξύλον illud, ejusque in-*  
*ventorem quendam Pasicratem fa-*  
*ciunt.*

*Quanquam non me latet antiquos*  
*Eculeum] Quanta inter Q & C co-*  
*gnatio, ex Grammaticis notum sa-*  
*tis est: libetque ex ipsorum Alpha,*  
*Prisciano inquam, paucula saltem*  
*adscribere hæc, lib. I. Apud anti-*  
*quos frequentissime loco cu syllabæ, qui*  
*ponebatur, & è contrario: ut arquus,*  
co-

coquus, oquulus, *pro* arcus, cocus,  
oculus, quum *pro* cum, quur *pro* cur.  
Hæc Priscianus. Sed exemplorum,  
quæ nostro addere potes, elegantem  
copiam exhibet eruditiss. I C. Rad.  
Fornerius lib. 1. rerum quotid. cap.  
ult. quem adeas de his utiliter, ut &  
nuperum libellum Auf. Popmæ de  
usu antiquæ locutionis lib. 1. cap. 3.  
quo de consonantium inter se com-  
mutatione differit. Et subindè Cri-  
ticis nostris hæc talia notantur pas-  
sim. Ceterū quod ad *Equulei* vo-  
cem attinet vulgata scriptura ea &  
recepta, Prisciano etiam proba vi-  
sa, cuius verba ubi de Diminutivis  
agit. extremo lib. 3. sunt: *In leus,*  
*equus*, *equuleus*. Cic. in Ver. de si-  
gnis: *Equuleus argenteos nobiles qui-*  
*que maximi fuerant, aufert.* Ita apud  
Priscianum est corruptissimè. Lo-  
cum obiter ex Ciceronis ea de signis  
fidenter emendo, & scribo: *Equu-*  
*leos arg. n. qui Q. Maximi f. a.*  
*Mendorum caussa pateat cuvis. Ci-*  
*ceronis*

ceronis autem verba plena in dicta oratione sunt : *Tum iste* (Verres) *ab equite R. splendido & gratioſo, Cn. Calidio cuius filium sciebat Senatorem populi Ro. & judicem esse, equuleos argenteos nobileis, qui Q. Maximi fuerant, aufert.* *Imprudens* *huc incidi, judices; emit enim, non abstulit. nolle* *dixisse. jactabit se, & in his equitabit equuleis. Emi: pecuniam solvi.* &c. ubi scribunt ad oram, Lambinum adnotasse *eculeos argenteos* in 5. cod. legi : quæ sanè antiqua scriptura hujus vocis, retinentque & recentiores multi. Id verò adeò permiror viros cetera eruditos & magnos Lambinianæ isti notæ addidisse, fortè legendum *culleos argenteos* in eo Ciceronis loco, ut nimirum de vasis vinariis loquatur. Quo mihi profectò, quod tamen ipsorum pace dixerim, nihil alienius à Ciceronis mente scriptum videtur. Nolim hīc, ubi non locus, plura verba profundere, vel inequitare cuidam longè me

me doctiori. Saltem mihi considerent ista : *& in his equitabit equuleis,* ubi *equitandi* verbum Orator non alia de caussa certè affectavit, quām ob illos equuleos argenteos, vasa ex argento nimirum à forma vel cælatura ita dicta. Ne quid dicam, quod Priscianus etiam non aliter olim jam legerit , quām *equuleos*. Rem claram puto.

Pag. 6. *Apud Lucretium]* ut lib. 6.  
de rer. nat.

*Tum color in nigris existit nubibus  
arqui.*

habuisti τὸ ἀρκοῦς , pro arcus , etiam in Prisciani verbis paullo antè prolati. Unde mihi fiat leviculæ saltem conjecturæ indicandæ venia. Sergius Grammaticus in primam Donati editionem Commentario , non longè ab initio : *Q* verò, quam antiqui quoties u sequebatur, præponebant, præstantius est, ut tunc cum post u aliqua ex vocalibus fuerit secuta, præponi debeat, ut quando , quendam , quia,

q u

quomodo , & juxta antiquos æquus,  
alias enim per c quām per q scripse-  
runt , ut cur , & cum . Hactenus Ser-  
gius . Pro illo æquus , an arquus for-  
tè scribendum ?

*Iodoco Badio ]* Barbarè loquutus  
revera Badius , quum barbarè adfir-  
maret scribi *Eculens* : ideoque rectè  
à Magio notatur . Sed modestè ta-  
men præquam ab aliis Criticis lace-  
ratur : quale carbone exaratum de  
eo elogium habes apud Fr . Flori-  
dum lib . 2 . lect . subcisi v . cap . 22 .  
Poffit tamen istos bonos viros , & in  
illis Badium (de quo ita & Glarea-  
no vifum est , eum non prorsus con-  
temnendum) excusare sæculum quo  
vixerunt , ne ad ipsorum lapsus fanè  
crebros in obscura adhuc litterarum  
luce nobis statim adeò turgescat vi-  
trea bilis , ut eam hamaxatim (liceat  
ita ludere ne & me commotum pu-  
tes) evomamus , ad quod proclivis  
perquam fuisse videtur ille Sabinus .  
Sed nolim mihi rem esse cum bilio-  
sis :

sis : & vereor ne alicujus ινήσω τύμ-  
 ἡσ σφῆκας ἐφεζομένους. Ociūs ergo  
 ὁρμαίψομεν & ad nostrum *Eculeum*  
 quod attinet , non barbarè ita scribi,  
 sed vetusto more , & librorum anti-  
 quorum fide , habuisti suprà à nobis  
 allatum è Cicerone exemplum: pas-  
 simque tibi vel aliud agenti occur-  
 rent in MSS. alia. Quibus addo ta-  
 men ex illis numquam sine laude lo-  
 quendis Gloffariis , quæ primùm in  
 lucem protulit eruditissima illa ty-  
 pographorum optimorum corona ,  
 H. Stephanus , ubi sua serie in pri-  
 mo glossario ita legimus : *Eculeus*,  
 σπελωτὴς , βασανισθε. Quæ ideo po-  
 tissimum attuli, quum alias hæc con-  
 quirere , quæ se sponte offerant , su-  
 pervacaneum videatur, si fortè levi-  
 ter emendarem. Puto enim scriben-  
 dum σπελωτὴρ , βασανισθε. Nec im-  
 probabunt ii qui versati fuere in  
 vett. MSS. Græcis, in quorum non-  
 nullis  $\rho$  &  $s$  in fine verborum pror-  
 sus eodem scribuntur modo. Inde  
 nimirum

nimirum error. Et βασανίς esset potius ipse tortor. Alterum glossarium, cuius verba non magis omitenda, βασανίσθεον. Eculeus, genus tormenti. βασανίς, Tortor. Imò, ut & eruditiss. viri à nostro ævo annotationem adjiciamus, H. Gifanius *Eculeus* per c dumtaxat probasse videtur, quum in suis Observationibus linguæ Latinæ ita scribat, quod opus utinam emergat in dias lumenis oras, ut furorum tandem pauca sit, corniculaque illa notha se alienis pennis venditare desinat. sed ille ita scribit : Eculeus, ἵππαρον, parvulus equus sive tener. Veteres ab equo, non equuleus, sed eculeus deducunt. Est enim c littera commutabilis cum q. Ab eo & tormenti genus, Eculeus. Cic. 2. de natura Deorum: Omnia in perfectis & maturis docet esse meliora, ut in equo quam in eculeo ; in cane quam in catulo ; in viro quam in puerō Sic V. C. habent, ubi vulg. equulo. Hæc ille : quamvis in

in Conlectaneis suis in Lucretium, voce *Robur*, *equuleus* potius scribere maluisse videatur, certè utrumque adprobet. Refert autem Cicero Chrysippi sententiam, &c., ni fallor, Lambinus eamdem vetusti cod.lectionem quoque jam antea testatus erat. οὐειρώθειν ουῶς ὡς αἱληθῶς ἐολκαστιν illi, qui significatus diversitatem ex scripturæ varietate sibi fingunt: quasi alio nempe per c, alio per q scribatur.

## C A P. II.

Pag. 8. *Si Alciato credimus*] Verba Alciati, ab amico mihi ultro indicata, ista lib. 4. disputationum cap. 7. fine ipso: *Sunt tamen qui de Justiniano aliter sentiant; nec temerè Grammaticis de Iureconsulto credendum arbitrentur: quandoquidem etiamnum videamus, & saepissimè experiamur, quanto superciliosum id hominum genus, quo jure, qua injuria & mortuos & viventes infectetur, quamque suis in*

64 Notæ in H. Magii

in studiis sibi placeant Moriae beneficio felices, alios omnes contemnunt: & epistolis ante ipsis Legum codices præfixis, Accursium, Bartolum, ceterosque acerbissimis conviciis dilacerent: Imperatoris sui Laur. Vallæ exemplo provocati, cui mortuo bonos hoc epitaphio habitus fuit:

Tandem Valla filet, solitus qui parcere nulli est:

Si quæris quid agat? nunc quoque mordet humum.

quod sane carmen longè magis ipsis, quam Vallæ convenisset, cuius doctrinae pleraque hujusmodi condonanda sunt. at hi ea maximè reprobant, quæ non intelligunt. Id vero distichon eptaphium Vallæ à quodam imputatum profert & Raph. Volaterranus lib. 21. Comm. Urban. ubi de recentioribus eruditione & arte claris viris agit.

Hæc enim ipsius sunt verba] Non transversis lignis, ut noster Magius se legisse putabat, sed obliquatis, ait Valla.

Valla. Hæc enim ejus verba lib. i.  
Elegant. c. 5. quod de diminutivis  
nominibus est. ubi pluribus de  
~~longe~~<sup>longe</sup> Fidicula postquam egit,  
ita finit: *Denique fidis in nominati-  
vo inauditum est, ergo fides dicendum  
est, cuius diminutivum fidicula, id  
est, parva cythara, vel chordula.* In  
plurali tortorium (ut dixi) instru-  
mentum ex duobus (ut ror) & obli-  
quatis lignis compactum, vel ab ex-  
torquenda fide, ac veritate, vel à  
nerveis funibus, vinculisque, quibus  
ad illum modum homines torquendi  
alligabantur. Dixerat autem antea  
paullo: *Fidicula pro instrumento tor-  
quendi, quod an rite formetur, nunc  
videamus.*

Sed & cur sua ætate] Nominis e-  
nim *Equulei* nulla in Vallæ verbis  
mentio, ut ex adscriptis jam modò  
patet. Adeò ut quis dubitare non  
frustra posset, an Valla per *Fidiculas*,  
sicut Magius quidem vult, *Equuleum*  
intelleixerit, idque βασανίσειον eo

loco explicare cogitaverit. Alias nec *Fidiculas* recte Vallam novisse, adseverat Gallonius etiam in lib. de martyrum cruciatibus c. 3.

*Gennam]* Et H. Junius Nomenclatore suo ubi Carceris & suppli-  
cii propria vocabula recenset, *Fi-  
diculas* Gallicè reddit *Gehenne*. qui  
tamen Fidiculas & equuleum non  
unum esse putavit instrumentum,  
quum de unoquoque separatim tra-  
ctet. Noster unum fuisse contendit  
omnino, in cap. ultimo. Ego, si  
tanti quid mihi probetur, improbe-  
turve; distinguendum verò cum aliis  
potius arbitror inter ista, nec Ma-  
gius ea argumenta dicere infrà vi-  
detur, quæ nobis extorqueant ipsi  
adhibere fidem.

### C A P. III.

Pag. 10. *Raphaëlis Regii Volaterrani]* Atqui putabam diversos fuis-  
se Raphaëles, Regium alium, alium  
Vola-

Volaterranum in qua opinione me confirmavit amicus, qui suggessit illum oratorem fuisse & litteratorem: hunc politicum & historicum: illum Patavii docuisse, hunc Romæ: illum an. 1496. obiisse, hunc anno 1500. etiam in vivis fuisse. Utut igitur Regius hīc se immiscuerit, Magium nostrum cum Volaterrano litigare constat.

*In equuleo longior factus]* Id tamen pro se adduxit Volaterranus, & nescio an adeò ipsius sententiæ (quamvis in eam aliàs non discedo) adversetur. Verba illius sunt obiter saltem, vel, ut noster Magius ait, è re nata sermonem de hoc tormento facientis lib. 3 r. Comm. Urban. extremo capite quo de doloris necessitate & remedio agit: *Sed præter omnes nostri potissime martyres testimonio sunt, quam sit animus probe institutus, imperator vitæ mortalium.* Ex quo vita beata & cum virtute non solum in viola & rosa, sed in tormentis

*Et Equuleo erit.* Est enim Equuleus id pœnæ genus quam hodie nostri funem appellant. Quod sane ex auctoritate Senecæ in epistolis deprehendimus: *Doloribus, inquit, distortus & in Equuleo longior factus.* Hactenus ille. Funem istum verò, quem Volaterranus *Equuleum* esse ait, alii potius *Fidiculas* interpretantur. Ita enim H. Junius in Nomenclatore suo: *Fidiculæ Suet. Machina multis intenta funibus, quibus cœn fidibus distendebantur facinorosi, ad exquirendum facti fidem νελαστίεον, πιεσίεον, αρθρέμβολα, τεοχὸς Aristoph. ξύλον βασανίσιεον Sozomeno. Aleman. Folterseil / Zwick / Treibschuur / mit dem man foltert. Belg. Pijnbaank / Gall. Gehenne. Nebrissensis interpretatur illud tormenti genus, quod Italiae familiare, tratto di corda: *Hispanis* tratto de cuerda vocatur: quo reus rejectis in tergum manibus fune suspensus in præceps demittitur. Hactenus & ille. Locus verò Senecæ nobis præ-*

prætereundus minimè est, nostro & infrà laudatus, qui tamen memoriâ in eo deceptus est, quòd putarit de aliquo certo homine ab illo auctore prolatum. Est autem hic non longè ab initio epistulæ 67. ubi inducit quasi objicientem sibi Lucilium: *Si bonum est, inquis, foriter torqueri, & magno animo uri, & patienter ægrotare, sequitur ut ista optabilia sint.* Nihil autem video ex istis voto dignum. Neminem certè adhuc scio eo nomine votum soluisse, quod flagellis cæsus esset, aut podagrâ distortus, aut *Equuleo longior factus* ubi vides & podagrâ distortus esse apud Senecam, non doloribus distortus, ut Volaterranus laudat.

A D C A P. IV.

Pag. 13. *Equuleo deditus]* Rechè meminit verborum legis Magius. Ita enim in l. 7. *et si excepta.* C. de malef & mathemat. Imp. Constantius

tius A. &c Iulianus Cæs. ad Taurum præfect. præt. rescripsere : *Si quis magus, vel magicis carminibus adsuetus, qui maleficus vulgi consuetudine nuncupatur, aut aruspex, aut ariolus, aut certe augur, vel mathematicus, aut enarrandis somniis occultans artem aliquam divinandi, aut certe aliquid horum simile exercens, in comitatu meo vel Cæsaris fuerit deprehensus, præsidio dignitatis exutus, cruciatus & tormenta non fugiat.* Si verò convictus fuerit, & ad proprium facinus detegentibus repugnaverit pernegando, sit Equuleo deditus, ungulisque sulcantibus latera perferat pœnas proprio dignas facinore. quamvis in libris multis aculeo legatur, sicut me frater cariss. Casparus admonuit.

Pag. 13. *In jure quoque Pontificio]*  
 Ut in can. 1. 23. q. 5. ex Augustino ad Marcellianum comitem de Donatistis captis : *Noli perdere paternam diligentiam, quam in ipsa inquisitione servasti, quando tantorum scelerum*

lerum confessionem non extento equuleo,  
non sulcantibus ungulis , non urentibus  
flammis, sed virgarum verberibus erui-  
sti : qui modus coercitionis & à magi-  
stris artium liberalium & ab ipsis pa-  
rentibus adhibetur , & saepe etiam in  
judiciis solet ab Episcopis adhiberi.  
quem locum mihi etiam frater meus,  
quem iterum amoris & honoris  
caussa nomino , indicavit , ut & hic  
in nonnullis codicibus *aculeo* legi:  
in editione vero Lugdun. non exten-  
dente *eculeo* : ad glossam ordinariam  
quod attinet , istam vero de verbo  
*Eculeo* non habere syllabam , ad  
hunc locum. Somnia itaque ista  
mera , quæ sibi finxisse glossularium  
Magius ait , alibi inquirat qui vo-  
let , cuique vacat: mihi sanè non  
videtur res tanti , ut ideo hic morer  
vigilans , vel otio meo , quo aliàs  
mehercle non abundo , abutar , pro-  
pter aliena somnia.

## A D C A P. V.

Alciati & Cardani loca mihi non in promptu. Istius etiam in libris 4. de V. S. unde Magius istum errorem vellicandum se sumpsisse ait, non apparere videntur: si mihi raptim percurrenti fides haberri potest. Sed potius autumabo, oculum meum cursim pertranseuntem fugisse ista Alciati verba, quam ut Magii nostri memoriam accusem.

## A D C A P. VI.

Pag. 17. *Calepon*] , *Chalepon*,  
 $\chi\alpha\lambda\epsilon\pi\sigma\pi\sigma\cdot$

*In voce Equuleus]* Rectè taxat confundentes Equuleum cum laminationis, locaque Valerii & Quintiliani, è quibus errorem hunc emanasse, male intellectis, putat, cap. ult. proferre conatur, quod adeas. Sed emendarunt hunc errorem ex parte no-

novissimi Calepini editores. Sic enim in illo, quem ultimò Basilea exhibuit, legitur: *Est & tormenti genus, quo ad exprimendum è noxiis, consciisve veritatem Romani utebantur: ita dictum (ut quibusdam placet) ab equi forma: tametsi alii ardenter laminam malunt interpretari.*

## AD CAP. VII.

Pag. 21. *Hæreseos damnatus*] Aliter narrat Martyrologium Gallicanum, quod videsis.

## AD CAP. VIII.

P. 22. *Iulium Pollucem in Onomastico*] Pollux noster cum aliis verbis inter *ημέματα* recenset, & quidem compositum, non simplex: nec explicat. verba ejus sunt l. 8. c. 7. ἀπὸ Ἰωνάτου, ἐθανατώθη ἐθανάτωσαν, ἀπέκτειναν, ἀνεῖλον, ἀπέσφαξαν, ἀπῆγξαν, ἀπετυμπάνισαν, κατέχρημισαν καὶ κρήμνα ὥσαν.

Et statim in instrumento δημίσ seu carnificis recenset ipsum tympanum: καὶ τὰ ἐργάλεῖα αὐτός, ξίφος, βρόχος, τύμπανον, φάρμακον, κώνειον. In MS. Palat. vetustiss. est τύπανον, sicut etiam dicebant, ut vel in Etymologico magno, verbo ῥύμβῳ, τύμπανον, Φιλοκτησίων τύπανον, idque magis κατ' ἀναλογίαν, quum τύμπανον πλεονασμῷ μὲν inde factum fuerit, quod tamen usitatus esse videtur, & τύπανον poëtis propter metrum potius usurpatum esse. Sed priore Pollucis loco interpres vulgatus Rod. Gualtherus fidiculis extenderunt reddit τὸ ἀπετυμπάνισαν. in quo si non alium, tamen Magium nostrum facile habebit subscriptorem, qui fidiculas nil aliud quam Equuleum esse contendit. Sed cur Julianus ille interpres, si hoc sentiebat, non & altero loco τύμπανον fidiculas in sua translatione dixit, sed retinuit Græcum nomen *tympanum*? verum quid ille dicat, quid ne dicat, non.

non valde attendendum arbitror, in Polluce quidem: ita multoties à vero sensu aberravit, & lapsus est infinitis locis, quemadmodum & eruditissimus amicus noster Wolfg. Seberus in nova illius Onomastici editione observavit. Nolim insultare cuidam juvenilius: *πὸ αὐτὸν δὲ οὐκως βοᾷ*. Alibi quoque auctorem nostrum in errorem pertraxit, quando Latinam saltem interpretationem illius inspicere satis habuit, ut mihi constat ex Miscellaneis Magii. Quamvis hic tamen ab eodem, ob tympani explicationem, non jure vapulet Gualtherus, cuius verba priusquam ulterius progrediar, adscribo. Sic enim ad Pollucis locum priorem adnotat: *Ἀποτυμπανίζειν* est tympanis ac fidiculis extendere. Tympanum enim lignum erat, quo nocentes cædebantur extensi. Proprie autem οντάλω vocant. Hoc autem supplcio olim hostes sustulerunt, donec gladii usus receptus est. Sed *Ἀποτυμπανίζειν*,

propriè videtur esse, fustibus necare πύμπαναν verò rotundus ille fustis vel bacillus est, quo administrabatur hæc pœna. Ei rei argumenta, ni fallor, sat firma dicunt Lexicographi Græci veteres. Magius verò erravit planè (ως τὴν συάφιων συάφιω λέγω) dum veteres cum novis, Scholiastem priscum cum Gualthero & Sigonio reprehendit, qui πύμπανον tamen rectè explicant, è quo ille omnino Latinorum *Equuleum* facere vult. De Aristophanis itaque Scholiaste, quem viri doctissimi non sine causâ magni ob eruditio- nem faciunt: is in Plutum Comici ad Blepsidimi ρετλιασμὸν illum.

὾ πύμπανα, ἡ κύφωνες, σὸν αρήξετε; ita commentatur: πύμπανα, ξύλα, ἐφ' οἷς ἐπυμπάνιζον. ἐχρῶντο γὰρ ταῦτη τῇ θημωείᾳ, ἢ βάιλα, τῷδε τὸ πίλαιν. οἵγουσα ξύλα οἷς τύπονται ἐν τοῖς δικαιητοῖς οἱ θημωρέψυχοι. ubi vide, an fortiè rectius legamus, ἐν οἷς ἐπυμπάνιζον. Ceterè sic exscripsit Suidas, loquiturque

que pari modo Hesychius, quorum verba inferius paullo afferam.  $\epsilon\nu\ oīs$  pleonasmo præpositionis qualem & alibi notant, ut apud Lucian.  $\epsilon\nu\beta\acute{e}λεις$   $\omega\lambda\eta\gamma\epsilon\iota\sigma$ . Sic idem dialog. Protef. & Plut.  $\kappa\alpha\theta\eta\mu\delta\eta\sigma\sigma$   $\epsilon\nu\ t\tilde{\eta}\ \rho\acute{a}\epsilon\delta\omega$ . Sic Apocal. vi.  $\Delta\pi\kappa\tau\epsilon\eta\mu\eta$   $\tau\delta\ t\acute{e}\tau\alpha\tau\tau\eta\tau\eta\tau$   $t\tilde{\eta}\eta\eta$ ,  $\epsilon\nu\ \rho\eta\mu\phi\alpha\alpha$ ,  $\eta\ \epsilon\nu\ l\eta\mu\omega$ ,  $\eta\ \epsilon\nu\ \vartheta\alpha\eta\omega\tau\omega$ . Sed in re manifesta utimur testibus non necessariis. Ille igitur Scholiorū veterum in Aristophanem auctor. Tympanum, non Equuleum, ut Magius perversè h̄c interpretatur, ait fuisse lignum, quo verberabantur fontes. Eumq; si sequutus Gualtherus, non benē culpatur ; non magis quam Sigonius de Rep. Atheniens. lib. 3.c.1.extremo ita scribens :  $\pi\acute{u}\mu\pi\alpha\eta\sigma\sigma$ , unde  $\Delta\pi\pi\pi\mu\omega\alpha\eta\eta\eta$ -fluxit, ligna erant, quibus nocentes homines cædebantur, ut Pluti interpres prodit. Benē, inquam, hic amicus Magii ex Aristophaneo commentatore vetere  $\pi\acute{u}\mu\pi\alpha\eta\eta$  explicavit. Gualtherum tamen sua ex eodē Scholiaste sumpsisse non

non arbitror: sed ex Etymologico magno, ubi ἀντλεξε̄ ista Græcè habes, quæ mox adducam. Sed quibus nunc redarguere Scholiastem priscum nititur Magius, breviter considerari debent, sintne alicujus momenti. Et mihi sanè videtur Latinus judex Græcum hominem malè damnasse, re scilicet non probè examinata. Quærerit enim primò, quid ligno aut fusti cum equo parvo & versatili tympano sit? Nihil prorsus. Nec Aristophanis interpres de Equuleo h̄ic vel cogitavit, nec versatile tympanum enarrare voluit, opusve habuit, sed tortorum tympana vel carnificum, quibus fontibus certatim insonabant plagas atque verbera. Nisi fortè, ait, ideo dictum tympanum putavit interpres, quodd in tympani morem tunderentur hoc ligno fontes. At nihil opus his ambagibus h̄ic quidem. Ideo dictum tympanum credidit interpres, quodd eo ferirentur damnati.

damnati. *καὶ τὸ τύμπανον*, ait ipse scilicet. Non respexit, inquam, ad tympanum quod pulsatur. Supervacua ergo est & conjectura illa de textu lacunoso & depravato, quasi ita loquutus fuisset Scholiorum scriptor: *τύμπανα, ξύλα, τὸν οἴς εἰπυμπανίζοντα*. Non ille ignoravit nec tympanum versatile sive pulsatile, nec tympana quibus cædebant nocentes; sed de his, quæ ad fustitudinas, cum comico ludens inquam, insulas spectant, non de illis sermonem facere voluit, & *σημειώσας πὲ*, quod Aristophanis locus desiderabat. Liberiūs fortè hæc in Magium ne cui videantur, vereor. Sed vir optimus suo quemque uti arbitrio præclarè hic jubet ipse, ingenuéque vult, ut par est, judicia libera esse. Et de eo certè aliàs ita censeo, virum fuisse doctrina erudita & lectione varia eximiè instructum, memoriâ præterea valuisse expromptâ, qualisque paucis obtigit. Ultima verò ratio,

qua

qua ait, si à tympano sumpta similitudine fustem illum sic dictum censuerit Scholiaxes, non fusti id nominis congruere, sed fontibus, quid sibi vult? Quid enim non congruat? tamenetsi namque fontes dicantur *πυπτανίζεσθ*, id cum respectu ad fustem illum certè dicitur, quo pœna eis infligitur. Sed ille ad fontes respiciendum putavit, quasi hi in morem tympani tunderentur, itaque nomen fusti non convenire. Atque ita est. Magius noster omnino existimavit *πύπτανος* esse Equuleum, & hunc à Scholiaste describi, & descriptionem tamen illam haud congruere Equuleo facilè vidit: inde ergo affirmavit errasse & Scholiastem, & quotquot (in quibus video & Rhodiginum lib. 10. antiq. lect. cap. 5. esse) eum sequantur. Jam itaque loca quædam ex veteribus lexicographis sunt proferenda de isto *πυπτάνω*, unde id fustum vel bacillum rotundum fuisse, quemadmodum

dum dixi, amplius patet: ἀπομπανίζεσθαι verò, sicut & simplex πυπανίζεσθαι, illo supplicio affici. Hesychius glossatorum eximus: πυπανίζεται, αλήσεται, σκιδέρεται, ἰχυρῶς τύπεται. & πυπανον ᾧ αἱ Βάικαι κρέουσιν. λιβ. εἰδ. Θ. Ιμωείας. apud quem & in paullo præcedentibus, πύπανα, τὰ δερμάτινα πρακτίεια ιόσινα, &c. obiter scribendum admoneo πρακτίεια, id esset *sonantia*, vel *sonora*. Iterum Hesychius: πύπανον, (nisi πύπανον hic legendum, quum præcedant πυπάζειν, πύπαις) ξύλον ἐν τη πυπανίζοισιν. Suidas: πύπανα, βάιλα. τῷ τὸ τύπειν, ξύλα ἐν οἷς ἐπιπάνιζον. ἐγράψατο γὰρ Καύτη τῇ Ιμωείᾳ. quæ verbatim ex Aristophanis Scholiaсте, ut & alia, quod viros doctos dudum observasse credo, multa exscriptissimæ videtur. Idem Suidas: πυπανίζεται, ξύλῳ αλήσεται, σκιδέρεται, η πρέμαται. Etymologic. magnum: πύπανον ἐσὶ τὸ δημιγένελον, ὡς τὰς τριθεῖδομοιδίους Διαχειρίζεται. η πυπανίζεται, ξύλῳ αλήσεται,

ἐκδέρεται, καὶ κρέμαται. Et alibi idem: ἀποτυμπανίσαι, ὃχ αὐλῶς τὸ ἀποκτεῖναι, αὖλὰ τυμπάνῳ, οὕτι ξύλον ὅπερ σκυτάλων καλός. τὸ γὰρ παλαιὸν, ξύλοις ἀνήροις τὰς πολεμίας, υἱερον ὅτι τῷ ξίφῳ. Non tamen nego, & de machina qua distendebantur vel suspendebantur fontes, πύμπανον & verba ab eo derivata usurpata inveniri: ubi potest respectum esse ad illa distenta tympana: & innuunt ἐκδέρεται, κρέμαται, in Lexicographorum modò allatis observationibus: supérque ea rē quædam in thesauro H. Stephani habes: quo pacto & ferè locum in ea ad Hebræos exponunt, quem cap. seq. Magius adfert. Sic fortè & apud Lucianum Tyranno: ποὺς ἐκ δικαστῆρων δῆται καθέγαγε, λέγω δὴ ποὺς ἐκ τυμπάνων, καὶ ποὺς ἀνεοικοπομψίους. Adeò ut in hoc quidem Magium nostrum Equuleuni posse Græca voce πύμπάνης exprimi, temere non reprehenderim, H. Junius αρθρέμβολον reddere voluit, cuius verba

verba è Nomenclatore eruditiss.  
quum ad hanc materiam spēctent,  
& ipsa inferere lubet : Equuleus,  
aut, ut alii, eculeus Cicer. stipes acu-  
tus, cui reus impositus excruciat, di-  
stendit, & evisceratur quodammodo,  
Et artuum compages dissolvitur. ἀρ-  
θρέμβολον, de quo Iosephus ita: ἀρθρεμ-  
βόλοις ὄργανοις ἐξήρθεοι, ήτε ἐξ ἀρμῶν  
ἀναμοχλούσαντες ἐξεμέλιζον. vocatur  
Ἐρεβλωτήρον ab eodem : alii inter-  
pretantur tormenti genus., quo religatis  
superne manibus, appensum de pedibus  
pondus hominem distendit, quale τόμ-  
πανον fere Græcis. Turnebus lib. 15.  
advers. cap. 16. ξύλον βασανιστήρον  
putat adpellari à Sozomeno lib. 5.  
cap. 12. illis verbis: Εδημοσίᾳ τεφσ-  
αγαγών τεφσ τὸ βασανιστήρον ξύλον,  
αἰωρεῖσθαι τεφσέπατην. quæ & opinio  
Sigonii l. 3. de Iud. c. 17. Sed, ut ad  
priora revertar, alter usus tamen, ubi  
ξύλον illud seu fustis significatur, ve-  
teribus scriptoribus Atticis notior  
fuisse videtur, & nescio an aliter  
usurpare.

usurpare, quām de nece, quæ per ejusmodi fustium infictus inferebatur, sive clavis ligneis voluerint. Sic certè Demosthenes capiendus videtur in ea de Chersoneso: ὡς οὐδὲ τὰ ἐργάτων δύνται τὸ αγῶνα, γάτων τεφοίκιδι γυνώσκειν, ἢ τοὺς πειθαρχικάς αὐτοὺς ἀκείνῳ, μισεῖν τε ἢ ἀποτυμπανίσματα. quod Wolfius vertit, *in cruciatum abripiendi sunt.* Ubi Ulpianus scholiastes (sicut in auctario ex Lutetiano codice producunt) τυμπανίζεται, ξύλῳ τλήτεται, ἀκδέρεται, κρεμᾶται. ἀποτυμπανίσματα, αὐτὸν τὸ ἀνιλεῶς Φόνδου ρωτάλοις. quæ priora apud Suidam iisdem verbis existant. posteriora quoque ita ferè Suidas, quamvis ea videtur mendum insidere: ἀποτυμπάνισσον, ἀνιλεῶς ή φόνδου. putoq; emendandum, ut in Demosthenicis Scholiis legitur, ἀνιλεῶς. sive ἀνηλεῶς malis, ut in quodam Scholiolo istius verbi Theodoreti Therapeuticæ adscriptum habuit. Ea vero quæ ex Chersonesitana protuli, totidem ver-

verbis & in 4. Philippica oratoris ejusdem leguntur : Sic & in tertia Philippica : ὁρῶν τὸν Καῦθον δῆμον οὐρανῶν· αὐτὸν τῷ μηδὲ βοηθεῖν, τοὺς δέ λότους μπανίσκου, τοῖς μηδὲ σὸν ὀργίζετο, τὸν δέ ὅπιτηδειον εἶναι Καῦθον παθεῖν ἔφη, Εἴσωχθε. quamvis ibi pariter Wolfius, *in cruciatum egit.* Sic & in ea τοῖς τροφαπεισθείσας. εἰ μηδὲ οὐδὲ ἡκάστου, οἵμα, τοὺς τότε Καῦθον τρεψας αὐτὸν εἰπόντας, τροφαγῆμα, ὃς δύσπεπτον λότους μπανίσκους, &c. ubi tamen idem interpres, *in crucem actos.* De cuius, viri certè doctissimi, interpretatione hic non inquiero. Deest & ocium ad eam rem, & ingenium, credo, multo magis. Eruditioribus ista disputanda relinquo. Me tamen ejusmodi loci facile permoverunt, ut potius cum Aristophaneo Scholiaсте & Sigonio sentire & explicare apud antiquos πύμπανα malim, de fustium poena, quam cum Magio de equuleo, vel cum Wolfio de cruce: et si *cruciatum* quum plerumque reddat, ut generalius loquutus, ita fortè *commodius excusari*

excusari queat. Sic enim & apud Plutarchum in Dionis vita, ubi Dionis cum armatis accessum ad Syracusas narrat: οἱ δὲ πόλεις τοῖς τυραννοῖς φίλοις ἐπετίθεντο, ή σωμάτων τοὺς καλλιμόνους πεφοργωγίδας, ἀνθρώπους αἵσιους, ή θεοῖς ἔχθρους. οἱ τελεινόταν ἐν τῇ πόλει καταμεμιγμένοι τοῖς Συρακουσίοις, πολυπελμονοῦτες. Κατεγγέλλοντες τῷ τυράννῳ τὰς τε Διγνοῖας ή τὰς Φωνὰς ἐκάστων. οὗτοι μὲν οὖν περὶ τοις δίκην ἐδίδοσαν, οὗτοί τοις τερεστυχανόντων τυμπανιζόμενοι vertunt, ab obviis male multati. Sed Doctissimus Xylander, verberibus cæsi: sequutus, ut in Notis indicat, quoque interpretem Aristophanis in Pluto: indicatque Guarinum vertisse, *Virgis enim cæsos excoriatarunt*: sequutum (ut opinatur) Suidam, cui τυμπανίζεσθαι scilicet non modò ξύλῳ πλήσσεσθαι, sed ἐκδέρεσθαι etiam, & κρεμᾶσθαι sit. quod si libeat sequi, ait Xylander, *in crucem actos vertendum esse*. Idein Plutarchus Galba:

ba : τῷ δὲ δίκαιῳ χαριζόμενῷ, ὃν ἐπώλευτον τὸ Νέρων ἀποτυπωνίζειν. ubi *obtruncandi* verbo reddunt. Aristoteles (cujus loci, ut & præcedentis Plutarchi index nobis Xylander Notis ad Dionem ejus) lib. II. Rhetic. c. 6. Αὐλιφῶν ὁ ποιητὴς μέλλων ἀποτυπωνίζεσθαι τὸν Διονυσίαν, εἶπεν, οἷον τοὺς συναποθνήσκειν μέλλοντας ἐγκαλυπτομένους ὡς ἥξοντα σχῆτι πυλῶν, πί ἐγκαλύπεσθε ἔφη. ή μὴ αὐτόν ήσαν μάς οἴδη τέτων; P. Victorius interpretatur, *quum ad supplicium duceretur*, in Comm. suis ad illum locum. Plura jam non conquiror. Ceterū in tanta interpretum varietate, quæ in his verbis Latinè reddendis adparet, certi quid præscribere cuiquam si me posse existimem, valde sim temerarius & audax. Raptim hæc tamen in Notas conjecti, η μάλα μαλακῶς ἔχων. Lector candidus boni consulet, & sicubi aberraverim, quod ut humanum, minimè à me alienum puto, utinam non

non familiare esset mihi nimis, ignoscet, melioraque & rectiora si qua novit, nobiscum impertiet, id quod & rogatum eum volo amicè.

## A D C A P. IX.

Pag. 24. ἄλλος δὲ ἐπυμπανίθησαν] Sic securè operas edere jussi, ut & cap. seq. erat enim in descripto exemplo ἐπυμπανίζεσθε, utrobique. Locus est in ea ad Hebræos cap. xi. vers. 35. ἄλλος δὲ ἐπυμπανίθησαν, καὶ ἀργοσθεξάριθμοι τὰς δύο λύτρωσιν, οὐαὶ πρεσβείονος ἀνασάσεως τύχωσιν. quod Magius noster *extenti*, vel *distenti*, ut cap. seq. interpretatur. Et *distenti* sanè cum veteri hic viri docti maluerunt, idque & H. Stephanus in sua novi testamenti editione Græca minori, qua obscuriorum vocum & quorundam loquendi generum accuratas interpretationes margini adscripsit, ad oram posuit. Alii tamen & fustuarii multati sunt, *fustibus*

bus cæsi sunt ut H. Stephanus in suo  
thesauro adnotavit. Castalio, *cru-  
ciati*, si rectè legi. Lubet hīc adscri-  
bere saltem duorum eximiorum  
commentatorum verba. Erāsmus  
Roterodamus annotationibus in il-  
lum locum epist. ad Hebr. ita scri-  
bit : *Distenti sunt (ἐτυπταντοῦσιν, quod à corio sumptum est, in tympano distento. Quamquam Græcanica scho-  
lia interpretantur de his qui fustibus contusi perierunt. Cæditur enim crebris iictibus tympanum* Ioachimus Came-  
rarius verò avus meus maternus,  
cujus memoriam sanctè colo, ad il-  
lum locum hæc adnotat : *ἐτυπταν-  
τοῦσιν) Suppicio affecti sunt, ultima  
per cruciatus. ut de uno omnia intelli-  
gantur. nam τυπταντοῦσιν pulsationis  
& jactationis erat supplicium. neque  
oblatam liberationem admiserunt, id  
est, in confessionis constantia neglexe-  
runt salutem, & pertulerunt acerbissi-  
mos cruciatus. hic mihi sensus simpli-  
cissimus videtur. Et mirum ni illud*

F scho-

scholion, quod in Hesychio reperio,  
 ἐτυμπανισθησαν, ἐκρεμάσθησαν, ἐσφα-  
 εῖσθησαν, ad locum illum epistolæ sa-  
 cræ pertineat.

*Ioann. Chrysost. ]* Chrysostomi  
 verba in eum locum ab amicis acce-  
 pi hæc: ἐν Ταῦται μοι δοκεῖ καὶ τὸ Ιωάν-  
 νικὸν αἰνίτθεατη, τοῦτο τὸ Ιακώβ. Δόπτυμ-  
 πανισμὸς γὰρ λέγεται δόπτηφαλισμὸς.  
 Theophylacti verba mihi non in  
 promptu, quum is auctor ad manus  
 non sit. Sed quid ista Chrysostomi  
 cum iis quæ Magius ex illo hîc di-  
 cere voluit, simile habent? quid  
 enim cruci cum δόπτηφαλισμῷ; Ille  
 ergo longè aliam expositionem apud  
 sanctum virum legisse videtur. Nil  
 enim certè de decollatione ait: sed  
 de crucis tormento, in quo illi di-  
 stenderentur, locum epistolæ à  
 sancto patre expositum refert, nec  
 probat. An itaque hic memoriâ la-  
 psus? Quod ipsi certè vitio verten-  
 dum non esset, adeò omnibus me-  
 moriæ subsidiis destituto. Nihil ta-  
 men

men adfirmo : permitto id decidere aliis. Hoc fortè *κύ παρόδω* considerandum fuerit , quod de *ἀποτυμωνισμῷ* ait vir sanctus, esse capitis abcisionem : id quod alibi raro legas. Nec scio etiam interpretem, qui D, Chrysostomi explicationem in eo loco sequutus fuerit. Geminum tamen hujus legitur in Favorini lexico : *ἀποτυμωνισθῆναι*, *Γέντον ἐστι τῷ θλὶ κεφαλῇ ἀποτυγχάνει*. Sed γενήσιν nullam dat , cur ei credere statim debeamus : virique doctissimi in thesauro suo adfirmant , se nescire ex quo auctore ista Varinus protulerit. Verum Chrysostomi eruditio atque dicendi vis dubitare nos non sinit amplius , quin & talis ejus verbi usus fuerit , quem etiam alibi occurere observo. Ita enim in Athenæo suo eruditorum phœnix , Is. Casaubonus , *ο πάνυ* , exponit , locumque commodè oblatum in amici mihi viri (quod glorior certe , adderoque ideo præfiscini) istis *doctis*

*In ppter & laboriosis Animadversiōnibus adscribo, si ullum alium, hic lubens, si modò centonibus nostris purpuram intexere fas est. Verba Athenæi lib. 4. Dipnosoph. sunt:*

Εὐφοείων δὲ ὁ Χαλικιδεὺς ἐν ιστομητισ  
Χωρινήμασιν χτῶ γέραφε, καὶ δὲ ἐπὶ τοῖς  
Ρωμαίοις ὥστε πίθεος πέντε μνᾶς τοῖς  
Χωρινήνιν βελομόβοις τὰς κεφαλὰς  
Δύπικπηναι πελέκει, ὡς τὸς κληρονόμους  
κομίσασθαι τὸ ἀθλον. ἡ πολλάκις Δύπ-  
ηραφομόβους πλείους δικαιολογεῖσθαι καθ'  
ὁ δικαιότατος ἐστιν ἔκαστος αὐτὸς Δύποτυ-  
μπανιθῆναι. ubi Dalechampius, uno-  
quoque disceptante æquissimum esse, sic  
se cruciari & ad supplicium trahi. Sed  
audiamus Casaubonum nostrum po-  
tiūs, lib. 4. animadversionum cap. 14.  
ita scribentem: καθ' ὁ δικαιότατος ἐστιν  
ἔκαστος αὐτὸς Δύποτυμπανιθῆναι. qui-  
bus contendunt unusquisque quod ju-  
stissimum sit, sibi potissimum caput am-  
putari. & addit: Torquent se hoc loco  
interpretes in exprimenda voce Δύπ-  
τυμπανιθῆναι que hic quidem per-  
spicue

spicuè ponitur pro eo quod paullo ante dixit, τώ κεφαλώ ἀποιηπήναι. Eustathius doctè, postquam ista ex Atheneo verba Euphorionis descripsit, ή ὁρε, inquit, τὸ ἀποτυμπανιθῆναι, Ταῦτὸν δὲ τῷ τώ κεφαλώ ἀποιηπήναι. Hactenus eximus ille. Vide verò sis, an & apud Theodoreum in εἰλικρινῶν παθημάτων θεοφύσικῃ, ubi hoc verbum aliquoties occurrit, ita exponi debeat; quamvis interpres Zenobius Acciajolus voluit *tympanis distendere*, vel *extendere* sive *fidiculis semper vertere*. Loci sunt. Sermon. 3. ή μήτοι ή τοὺς αὐδροφόνγες αὐασολοπίζοντες ή ἀποτυμπανίζοντες. de Græcis loquitur. Serm. 8. qui est de Martyribus, ubi de alacritate eorum in preferenda morte: οὐετεῖναι ή τὰ νῶτα τοῖς ἐθέλοσι μαστιγῶ, ή λαμπάσι ή ὄνυξι τὰς τλεντρὰς, Καὶ τοὺς αὐχένας οὐοθεῖναι τοῖς ξίφεσι, ή ἀποτυμπανιθῆναι οὐετεῖμας ή αὐασοινδαλενθῆναι. Et hīc verbo ἀποτυμπανιθῆναι additum ad oram Scho-

lion (cujus suprà memini) in cod. vet. Augustano adnotavit Sylburgius hoc, ἀνηλεῶς Φονδθῆναι. Idem Serm. 9. ἡ τὸς μῆνι αὐτῶν ἀπετυμπάνισσαν, τὸς ἡ ἀνεσκολόπτσαν, τὸς ἡ θηρίοις παρέδοσαν. Sed ad finem tandem pergendum est, ne operis sim in morā.

*In quo ille distenderetur]* Scribendum puto, *in quo illi distenderentur.*

## AD CAP. XI.

Pag. 29. *Apud Ciceronem]* Non invenio apud Ciceronem de equulei inventione peculiare quidquam, nec puto alius. Certè videntur viri docti, qui hanc materiam tractandam susceperunt, non fuisse omissuri si quid tale apud Ciceronem legissent. Fortè ut Græci tympana sua excogitarunt, quibus nocentes puniebant, ita Romanos equulei tormenti autores apud se extitisse vero non sit assimile, ut cuique populo sui quidam

pu-

puniendi modi sunt. Conjectator sum, ut vides: nec à me certi quid exspectes, ubi tacent alii, ubique ipse tecum ad doctiores ire paratus sum.

## AD CAP. XII.

Pag. 32. *Loco prænotato] cap. 3.*  
ubi Senecæ verba ex epist. 76. ad-  
scripsi.

*Re manifestum] Locus mutilus.*  
Credo fortè scripsisse: *Quare ma-  
nifestum, &c.*

*Divaricatis cruribus] Verba pru-  
dentii in hymno 5. peristeph. quem  
dicavit D. Vincentio Martyri Cæsar-  
augustano, sunt:*

*In hoc barathrum (carcerem sub-  
terraneum) conjicit.*

*Truculentus hostis Martyrem,  
Lignoque plantas inferit  
Divaricatis cruribus,  
& paulo post:*

*Nam carceralis cæcitas*

*Splendore lucis fulgurat,  
Duplēxque morsus stipitis  
Ruptis cavernis diffilit.*

*Fidiculas appellat]* Peristeph. hymn. 10. qui D. Romano Martyri Antiochēno inscriptus. Hunc enim locum puto Magium dicere, ubi Romanus:

*Nec distat, ignis an fidiculæ sœviant,  
An corpus ægrum languor asper tor-  
queat :*

*Cum sæpe morbos major armet sœvitia  
Non unguilarum tanta vis latus fodit,  
Mucrone quanto dira pulsat pleuresis.  
inferiusque jubet sceleratus Ascle-  
piades carnificem, ut*

*Sulcosque acutos & fidiculas tranfe-  
rat.*

ubi tamen pro ungulis usurpasse poëtam *fidiculas* conatur ostendere Gallonius.


*Val. Max. de . . . .]* Locus Valerii de Zenone l. 3. c. 3. ita habet: *Rupit verbera, fidiculas laxavit, solvit equuleum, laminas extinxit, &c. quæ non*

non exscribo: quum in Gallonii disputatione superius ea existent: ubi & Quintiliani, vel quisquis potius ille declamator est, locus, quem tam non solùm in mente habuit Magius. Libet itaque adscribere & illum & alios quosdam. Ille est in declam. ult. *An tu quæstionem illam fuisse credis, qualis vernilibus corporibus adhibetur? ideo enim equuleos movebam artifex senex, tenebam fidiculas ratione sævitiae, ut leviter sedibus suis remota compago per singulos artus membra laxaret. Consumptus est spiritus silentio sui, & verbera ignesque animum pariter vocemque cluserunt, &c.* adèo ut nesciam quid illa in corio filii apud Magium sibi ve- lint. Hoc igitur quod scimus, Magium dicere ibi & crebram mentio nem esse laminarum & flagellorum. Ita enim eadem declam. non longè à fine: *Consiste agendum mulier loco meo, & in habitum paterni furoris accincta admove equuleos, flagella, lami-*

F 5. nas,

*nas, prædico, testor, aliter non possum  
loqui, aliter mihi non potest credi.* Et  
præcedenti declamatione de eodem,  
pro muliere contra maritum: *At  
tu, prob. nefas, verberibus, ignibus,  
& tota crudelitatis arte scrutaris rem,  
de qua non deberes interrogare servos,  
de qua vernilium quoque corporum pa-  
tientiam petulanter excuteres. Lami-  
nas accendis, equuleos moves, &c. Ite-  
rum: Pater in tormentis filii non a-  
versos tenuit oculos, ipse vestes scidit,  
velamenta laceravit, manibus flagella  
concussit, renovavit ignes, &c: Et:  
Filium consumpsisti per flagella, per  
laminas. Sic &c declam. 7. ubi pau-  
per quidam se offert torquendum:  
*Vultis cùm hoc viderim tantum testi-  
monium dicam? Mirum hercle, si  
scindo vestes, nudo corpus, ignes, fla-  
gella deposco. quæ ubi mox iterum  
junxit: Non refert, ait, cuius ad e-  
quuleum nominis persuasionem, quas  
silentii afferas caußas. & plura in ea  
declamatione, unde saltem extre-  
mis**

SCAMNV M HIPPOCRATIS  
EX  
Officina Ioannis Andreæ à Cruce  
Veneti  
Vide chirurgiam ipsius universalem.



pag. 103.



mis excerptis , oc̄iūs hinc abeo :  
*Cum flammis urentur nuda vitalia, nox illa occurrat, cùm membra fidicula flagella laxaverint, &c. Si me fortè fidiculae flagella mutaverint, ego tamen vidi. Si vocem in equuleis, ignibusque perdidero, ego tamen vidi.* quæ non minùs pro Magii nostri sententia faciunt, præsertim quum & velit fidiculas cum equuleo easdem esse : quæ tamen docti viri , ut dixi, malunt distinguere. Legere potes & Senecæ lib. 2. controv. 5. ubi torta à tyranno mulier pro marito introducitur , paritérque cum equuleo ignes, verbera, flagella. & lib. 9. controv. ult. *Instabam super caput, non accusator, sed tortor : ipse ignes subjiciebam; ipse ad intendendum equuleum manus admovebam* lib. 10. controv. 5. Statuitur ex altera parte Parphasius cum coloribus , ex altera tortor cum ignibus , flagellis , equuleis. Et passim.

*In Caligula Imp.] Fallitur memo-*

rià optimus Magius in priore loco,  
qui non in Caligula, sed Tiberio  
Suetonii legitur cap. 62. *Excogita-*  
*verat autem inter genera cruciatus,*  
*etiam ut largameri potionē per falla-*  
*ciam oneratos, repente veretris deliga-*  
*tis, fidicularum simul urinæque tor-*  
*mento distenderet.* In Gallonianis ad  
hunc locum respondere conantur,  
scilicet aliud tormenti genus esse  
apud Suetonium, remotissimum ab  
eo quod in martyrum gestis & alio-  
rum auctorum locis legatur. An ve-  
rè, lector eruditus judicabit. Certè  
ungulas non designari, hoc clarum.  
Et cur Suetonius in alia  $\chiρησι$  illud  
nomen sumat, quam Valerius Maxi-  
mus, quam Quintilianus, cuius ta-  
men minimè illas declamationes es-  
se viri docti autumant? Isidori verò  
auctoritas sola an nos debeat adige-  
re ut fidiculas fuisse ungulas ferreas  
credamus, nescio. Quodque me in  
opinione confirmat magis, erudi-  
tiss. Jureto idem videri inveni in iis  
quæ

quæ Adpendicis loco adjecta sunt. Nec ad cetera fortè difficultis sit responsio : quæ hic excutere tamen non vacat. Ceterū non ideo & equuleum tamen confundi prorsus cum fidiculis , ut Magius vult , necesse est. Suetonii loca hercle non cogunt , potius contrariæ sententiæ faveant. Eorum verò , ne morer , alter est in Caligula cap. 23. *Quin & subinde jaetabat , exquisitum se vel fidiculis de Cæsonia sua , cur eam tantopere diligeret.* Addam & illud Matrialis ad Rufum v. Epigram. 53.

*Exprimere , Rufe , fidiculæ licet cogant ,*

*Ave Latinum , χαιρε non potes  
Gracum.*

Pag. 37. ff... & C....] Loci quos memoria Magio nostro in illa fortuna non suppeditavit , nec mihi in promptu , in Jurisconsultorum libris parum versato. Nec dubito tamen unum esse , quem & Gallonius laudat , in C. de Quæst. lib. 16. *de curiones*

*curiones.* ubi Imp. Valent. Valens, & Grat. ita ad Antonium præf. præt. Galbanorum: *Decuriones sive ob alienum sive ob suum debitum, exortes omnino earum volumus esse pœnarum, quas fidiculæ & tormenta consti-* tuunt. *Quod quidem capitale judici erit, si in contumeliam ordinis, exi-* tiumque tentetur. Majestatis tantummodo reos, & (quæ nefanda dicto sunt) consciens, aut molientes ex ordine municipali, maneat tam cruenta conditio. Cui ex Codice & alterum addo l. 4. nullus. T. ad L. Juliam majestatis, ubi Imp. Valent. Valens & Gratian. Olybrio P. V. Nullus omnino, cui inconsultis ac nescientibus nobis fidicularum tormenta inferuntur, militiæ vel generis aut dignitatis defensione uti prohibeatur, &c.

*Apud Hippocratem in lib. . . . &* apud] Hic verò ad medicos eundum. Et ostendit mihi vir clariss. & doctiss. H. Schilerus, Illustr. Comitis Hanoviæ medicus eximius hujus scamni

scamni effigiem in Chirurgia Universali Io. Andr. à Cruce Veneti, librumque perhumaniter concessit. ut inde sculpendum dare & mox ad calcem adpendicis si quis desiderabit exhibere potuerimus.

Nescio tamen an ad Magii nostri mentem: qui videtur alio modo, ni fallor, delineasse, vel delineaturus fuisset, si vixisset, & ultimam manum libello suo imponere potuisset. Interim quod potuimus amici quidem viri beneficio, dedimus. Taliū rerum periti cum Hippocratis verbis comparabunt, si ita videbitur. Adducit verò Hippocratis locos ille ab Italia auctor Chirurgiæ ad oram sui libri, nempe *libro 4. de articulis & libro 2. de fracturis.* quorum unum vel ambos & Magius hic fortè indicare volebat, si memoria suggessisset. Sed quis ille alter, quem laudavit Magius, proque cuius nomine *ἀστερίσκος* οὐσαίγνωστον scilicet asteriscus nota-

tus

tus est ? Et suspicer Oribasium fuisse, quem quoque ex Rufo de hac machina auctorem dant in lib. de machinamentis. Ceterum *scamni* vocem, ut & suprà ad caput i. attigi, si quis cum Magio ab Hippocrate esse putabit, valde sua opinione falletur, quid gravius dicam. ξύλον apud Hippocratem de hac machina est saepius. *Scamni* verò vox de eadem apud Latinum (ut ajunt) Hippocratem, Corn. Celsum, habetur lib. 8. cap. 20. cuius auctoritate credo se & recentiores medici, qui non aliter appellarent, facile tueri possunt. Sed age loca ipsa Hippocratis inquiramus. Περὶ ἀσθμῶν. itaque ille omnis medicinæ parens, ut à Celso vocatur, ubi de ossibus tibiæ agit, si exciderint, quo modo ἐν κατατάσιᾳ fieri ἐμβολή describit. Locus est prolixior, nec vacat omnia adscribere : indicasse sufficiet. Adhibet ibi & ὄντος, εφ' ᾧ κατατάσιν quoque fieri posse docet. Sic & περὶ αέρθρων, ubi περὶ πα-

χίδῃ

χέδον differit ejusque luxatione , & quo pacto reponi debeat : οὐτε τὸ πλάνητον , ait , καταπονεῖται γὰρ δικαίωσις τοιόνδε καταπονεῖσθαι . ἔξεστι μὲν ξύλον ἰχυρὸν καὶ πλατὺν , εἰς τοπίον προσεμένεα ἔχον καταρρέειν , &c. Unde doctiss. commentator Foesius *Διγναῦτασμὸν* ad eum locum observat vocare Hippocratem organon illud , quo vi adhibita restitutio cogatur : mihi tamen , si non valde fallor , de ipso modo istius violentæ restitutionis , & quæ per vim fit repositionis , potius illud vocabulum accipiendum videtur. Sed ego fortè ultra crepidam audacem futorem imitor. Ait idem Foesius ibidem βάθεον ήξύλον à Paulo Ægineta vocari illud instrumentum : ejusque etiam meminisse Oribasium lib. de Machinamentis cap. 35. Idem Hippocrates eodem πλάνητον ἰχυρὸν libro , ubi de femore prolapsō restituendo agit , quem locum inserere placet , & post eum Celsi verba , ut tandem finis sit : εἴρηται δέ τοιούτοις (in

## 106. Notæ in H. Magii

(in iis) τοῖς ἀγμῶν ) δῆπεπάξιον ὅστις ἐν πόλι πολυανθρώπῳ ἴητεσθε, ξύλον κεκτῆθαι τετέάγωνον ὡς ἔξαπτυχον, ἢ ὀλίγῳ μεῖζον εὑρεθῇ, ὡς μίπιχον. πάχεται, ἀρκέσθαι φαμιδὸν. ἐπειτα καὶ μῆνας μὲν, ἔνθεν καὶ ἔνθεν τομέων ἔχειν γένη, ὡς μὴ σφηλοτέρην τομήν μηχανηστε εἴη. ἐπειτα Φλιάς βαρχέας, ιχυρός, ἐνηρμοσμένας, ὄνισκος ἔχειν ἑκατέρωθεν, ἐπειτας αρκέσθαι μὲν ἐν τῷ ημίσφιῳ ξύλῳ, γένεντος καλύψεως πάντος ἐντετμῆσθαι ὡς καπέτας μικρὰς πέντε ἢ ἕξ, οὐαλεπτόσας ἀπ' αἰλίλων τέσσαρες δακτύλους. αὐτὰς τοῦ αρκέσθαι εὑρεθῇ τειδακτύλους εἶναι, καὶ βαθος γάτως. ἔχειν τοῦ καὶ μέσον τὸ ξύλον καταγλυφίων γένη βαθυτέρων ὅπερι πετέάγωνον ὡς τειῶν δακτύλων. καὶ ἐσμὲν τὰς καταγλυφίων ταύτας, ὅταν δοκέῃ περιεσθεῖν ξύλον ἐμπιγνωσθαι ἐναρμόζον τῇ καταγλυφῇ. τὸ τοῦ αἵνω σρογύλον. ἐμπιγνωσθαι τοῦ ἐπίν ποτε δοκέη ξυμφέρειν, μεσημέρι τοῦ τετραετοῦ καταγλυφίων τοῦ ξύλου τοῖστοις ποδῶν ἔλκεστιν. ἐνίστε γὰρ δοκέσθαι αὐτὸ τὸ ξύλον τοῦ

ὕτο, ἀν τὶ τὸ ἄνωθεν ἀντικατατάσσος. ἐνίοτε ἥ κατατεινομένης ὡς σπέλεᾳ ἔνθεν ἢ  
ἔνθεν, αὐτὸ τὸ ξύλον ὡς τὸ χαλαρὸν ἐγκείμηνον ἢ τῇ, ἢ τῇ, ἐμοχλεύειν ὅπητήδην  
ἀν εἴη τῶν κεφαλῶν ὡς μηρῷ ἐστὸ ἔξω μέρῃ, διὰ τὸ γόνον. Καὶ αἱ κάπετοι ἐντέμινται, ὡς καθ' ὄντεις ἀν αὐτῶν αἱμόσῃ ἐμβαθύμην τὸ ξύλον μογλός μοχλεύοις, ἢ τοῦτο τὰς κεφαλὰς τὸ ἀρθρων,  
ἢ ἡ τὰς κεφαλὰς τελέως ἐρειδόμην τὸν αἷμα τῇ κατατάσσει, λιῶ τε ἐστὸ ἔξω μέρῃ συμφέρει, ἐμοχλεύειν διηγεῖται, λιῶ τε εἰς τὸ  
ἔσω. Καὶ λιῶ τε σρογύλον τὸ μοχλὸν ξυμφέρει εἰναι, λιῶ τε τὸν αἷματὸν ἔχοντα. Ἀλλα τὸ γόνον ἀλλω τὸ ἀρθρων αἱμόζει, &c. Foesii  
in Comm. inter alia hæc habentur:  
*Hoc organum, quod Hippocrates ξύλον  
vocat, describitur optimè Rufo apud  
Oribasium libro de Machinamentis,  
cap. 29. Scamnum vocat Celsus, ut  
recentiores βαθέον. Paulus μέγα ξύλον  
(ut et hic Hippocrates, qui mox ait:  
εἰ γόνον τὸ ξύλον ὡς τὸ μέγα, &c.) ἢ βαθέον, ut  
Galenus in Comment. Hujus  
quoque meminit in Mochlico Hippo-  
crates.*

*crates.* Celsi verba, in quibus *scamnum* vocatur, itaque fortè cupies. Ea sunt lib. 8. cap. 20. *Etiamnum valentius intenditur membrum super scamnum*, cui ab utraque parte axes sunt, ad quos habenæ illæ deligantur, qui ut in torcularibus conversi, rumpere quoque si quis perseveraverit, non solum extendere nervos & musculos possunt. *Collocandus autem homo super id scamnum est*, aut pronus, aut supinus, aut in latus: sic ut semper ea pars superior sit, in quam os prolapsum est: ea etiam inferior, à qua recessit, &c. Agit autem eo capite de femore luxato, & Hippocratis meminit. Sed lubet ociùs hinc ex alieno choro pedem tandem.

*Pœnam servilem appellat Prudentius]* Locum Prudentii videtur respxisse illum in hymno Romani. Jusserat Asclepiades judex ille impius Romani.

*Eviscerandum corpus Equuleo eminens*

*Pen-*

Pendere, & uncis ungulisque crescere.

Apparitores sed furenti suggerunt,

Illum vetustâ nobilem prosapiâ,  
Meritisque multis esse primum ci-  
vium.

Fubet amoveri noxialem stipitem,  
Plebeja clarum pœna ne damnet vi-  
rum.

Tundatur, inquit, pectus crebris  
ictibus,

Plumboque cervix verberata extu-  
beret,

Persona quæque competenter plecti-  
tur,

Magnique refert vilis, an sit nobi-  
lis,

Gradu reorum forma tormentis da-  
tur.

*Apud Iustinian. C....] Ut Tit.*

C. de Quæstionibus l. 2. divo ubi  
Impp. Diocletianus & Maximus  
Boetho ita rescribunt: *Divo Marco*  
*placuit, eminentissimorum nec non*  
*etiam*

110 *Notæ in H. Magii*

etiam perfectissimorum virorum usque  
ad proneptes liberos, plebeiorum pœ-  
nis vel quæstionibus non subjici, &c.  
In Digestis verò ut l. ult. de decurio-  
ne T. de Decurionibus, ubi Paulus  
libro i. Quæstionum: *De decurione*  
*damnato non debere quæstionem habe-  
ri, Divus Pius rescripsit.* unde etiam  
si desiderit decurio esse, deinde damne-  
tur, non esse torquendum, in memoriam  
prioris dignitatis placet.

*Per flagella, per verbera]* *Filium*  
*consumpsiti per flagella, per laminas,*  
est in penult. declam. quæ Quintili-  
ano attribuitur vulgò, ut suprà  
excerpsi.

*Extinxit laminas, laxavit equu-  
leos.]* Et hoc jam indicavi, apud Va-  
lerium esse, fidiculas laxavit, solvit  
equuleum, laminas extinxit.

*Accendis laminas, &c.]* Ex ea-  
dem penult. declam. illius Pseudo-  
Quintiliani suprà jam attuli: *Lami-  
nas accendis, equuleos moves.*

*Vnde Justinian.]* Vide suprà ad  
caput 6. Su-

*Suspensi in equuleo]* Adi Gallo-  
nium, In apendice: ad quam te li-  
bens tandem remitto, mi lector.  
Habes ibi, quæ Magius no-  
ster hoc ultimo capite mutilo stri-  
ctim attingit, latius exposita & di-  
sputata prolixius. Unde non opus  
fuit, ut ego, si vel ingenium tempus-  
que adfuissent, actum agerem: qui  
loca tantum quædam in isto libello  
posthumo adnotare volui, nec ex  
professo interpretandum suscepi. Tu  
symbolam, quam contuli properans,  
hoc quidem tempore & statu meo  
non bono in bonam partem bonus  
accipies, & erratis meis benignus  
ignosces, quod te rogo, precorque  
ut valeas. Dixi.



A P P E N D I X  
D E E C U L E I  
T O R M E N T O

*Ex Sigonii, Gallonii & Ju-  
reti Scriptis.*

## EX CAR. SIGONII

Lib. III. de Iudiciis

## CAPUT XVII.

*De tormentis in Eculeo.*

 Uis verò aut qualis Eculeus fuerit, qui inter antiqua tormentorum genera numeratur, nemo, adhuc litteris prodidit. Quantum autem ex veterum non levissimis elici monumentis potest, Eculeus catasta fuit lignea, cochleata, ad intendendum ac remittendum apta, atque ad torquendos homines, ut facti veritas elicetur, instituta. Tormenti verò genus erat hujusmodi: Ubi catastæ huic brachia, pendue

desque ejus, qui torquendus erat, nervis quibusdam, quæ *fidiculæ* dicebantur, alligaverant, tum catasta intenta, atque in altum erecta, ut ex eo quasi ex cruce quadam miser ille penderet, primum compagem ipsam ossium illius divellebant, deinde candentibus ejusdem corpori laminis admotis, atque bisulcis ungulis ferreis lateribus laniatis doloris acerbitatem augebant.

Ac catastam quidem ligneam, atque in Altum erigi solitam fuisse, ostendunt apertè P. Sozomenus *Hist. Ecclesiasticæ libro v.* & Prudentius in hymno D. Vincentii Martyris, quorum ille Eculeum *lignum tortorium* hic *stipitem noxialem*

116     *Ex Siganii*

*lem appellat.* Siquidem inquit Sozomenus: καὶ τεσταγαγὼν τρέψ τὸ βασανισμένον ξύλον αἰωρεῖσθαι τεστατήν, id est: *Et cum ad tortorium lignum adduxisset, in sublime tolli jussit.* Et Eusebius Hist. Ecclesiasticæ lib. v. τὰς ἐν τῷ ξύλῳ Δητάζεις τῷ ποδῶν. id est: *Pedum extensiones in ligno.* Prudentius autem:

*Incensus his Asclepiades  
jusserat,*

*Eviscerandum corpus Eculeo eminus*

*Pendere.*

*Et paulò post:*

*Jubet amoveri noxialem stipitem,*

*Plebeja clarum pæna ne damnet virum.*

*At paulò post, qui in Eculeum  
esset*

esset conjectus, ex eo, quasi ex alto ligno, pependisse, ostendit multò apertius, cùm eundem Martyrem ex Eculeo ita vociferantem inducit:

*Audite cuncti, clamo longè, ac prædico,  
Emitto vocem, de catastœ  
celsior.*

Eandem autem machinam cochleatam fuisse, ex versu veteris poëtæ Pomponii elicetur, qui à Nonio Marcello profertur:

*Et ubi insilui in cochleatum  
Eculeum,  
Ibi tolutim tortor. id est  
torqueor.*

Quòd autem brachiis pedibusque Eculeo fidiculis alligatis, Eculeus distentus ossium

commissuras cum dolore distracterit, ex multis locis cognoscitur, primùm ex eodem hymno, ubi ita tyran-nus imperat:

*Vinctum retortis brachiis  
Sursum, ac deorsum exten-dite,  
Compago donec ossium  
Divulsa membratim cre-pet.*

Deinde ex hymno D. Romani Martyris, in quo Martyr ipse ita ex Eculeo loquitur:

*Miserum putatis, quòd  
retortis pendeo,  
Extensus ulnis, quòd revel-luntur pedes  
Compago nervis quòd sonat  
crepantibus.*

Et Asconio: *Deservi alicore  
quæstio*

*quæstio ita habita, ut is articulatim consecaretur.*

Quibus verbis satis, quæ figura fuerit ejus, qui in Eculeo torqueretur ostenditur, cum se pendere brachiis, pedibusque retortis extentum ait, nervis scilicet, quibus devincta membra erant, propter summam intentionem crepantibus. His autem addere possumus etiam Suetonium de Tiberio ita scribentem: *Excogitaverat inter genera cruciatus etiam, ut larga meri potionē per fallaciam oneratos repente veretris diligatis, fidicularum simul, urinæque tormento distenderet.* Ex quibus apparet, nullum alium cruciatum à fidiculis, quibus

membra eculeo adhærebant, nisi distensionis esse profectum. Unde Isidorus non omnino malus auctor antiquitatis jure suo, Eculeum dictum, *quod extenderet*, scripsit. Eusebius autem summè distentum ait, cùm ad quintum foramen pervenisset. inquit enim libro v.  
 $\tau\alpha\varsigma\; \dot{\epsilon}\nu\; \tau\bar{w}\; \xi\bar{u}\lambda\omega\; \deltai\alpha\tau\alpha\zeta\epsilon\iota\varsigma\; \tilde{\pi}\omega\delta\bar{w}\nu\; \dot{\epsilon}\bar{w}\;\pi\epsilon\mu\pi\bar{o}\nu\; \deltai\alpha\tau\alpha\nu\omega\bar{w}\nu\; \tau\bar{w}\bar{u}\pi\mu\alpha.$

Ut autem incitandi doloris caussa eculeus, aut fidiculæ tendebantur, sic ejusdem remittendi eadem laxabantur. Quocirca Valerius de patientia ita scriptum reliquit: *Zeno cum à Nearcho tyranno torqueretur, esse dixit, quod secreto audire eum maximè expediret, laxatoque Eculeo aurem*

aurem ejus morsu corripuit,  
atque abscidit. In Theodoro  
autem Hieronymus tyrannus  
tortorum manus frustra fati-  
gavit; rupit enim verbera,  
fidiculas laxavit, solvit Ecu-  
leum, laminasque extinxit  
prius, quam efficeret, ut ty-  
rannici odii consciens indicaret.  
& Quintilianus declamatio-  
ne ultima ita: *An quæstio-  
nem illam fuisse credis, qualis  
vernilibus corporibus adhibe-  
tur?* Ideo enim Eculeum mo-  
vebam artifex senex, tenebam  
fidiculas ratione sævitiae, ut  
leniter sedibus suis remota  
compago per singulos artus  
membra laxaret. Ex quibus  
verbis, qui in laxando eculeo  
leniter fidiculas remisisset,

eum aliqua ex parte doloris  
acerbitati consuluisse appetet.

Postremò verò laminarum  
cendentium, & unguilarum  
effodientium ita multa testi-  
monia extant, ut ea referre  
putidum magis, quām necef-  
sarium esse videatur. Cypri-  
nus ad Donat. *Hasta illic, &*  
*gladius, & carnifex præsto*  
*est, ungula effodiens latera, &*  
*deradens, Eculeus extendens,*  
*ignis exurens, hominis corpus*  
*unum, supplicia plura quām*  
*membra. & de laude Martyrii:*  
*Hoc verò quòd Eculeo corpus*  
*extensem carentes stridet ad*  
*laminas, non exempti sanguini-*  
*nis, sed tentationis est caussa.*  
& Prudentius in hymno D.  
Vincentii :

*Ex-*

*Extorque, si potes, fidem;  
Tormento, carcer, ungulæ,  
Stridensque flammis lamina,  
Atque ipsa pœnarum ultima*

*Mors Christianis ludus est.*

& post:

*Ridebat hæc miles Dei  
Manus cruentas increpans,  
Quod fixa non profundius  
Intraret artus ungula.*

& in hymno D. Romani:

*Amor coronæ pæne prævenit  
trucem*

*Lictoris artem, sponte nudas  
offerens*

*Costas bisulcis execandas un-  
gulis.*

& post:

*Non angularum tanta vis la-  
tus fodit*

*Mucrone, quanta dira pul-  
sat pleuresis ;  
Nec sic inusta laminis ardet  
cutis,  
Ut febris atro felle venas  
exedit.*

Et Cicero in Verrem: *Quid cum ardentes laminæ, ceterique cruciatus admovebantur?* Et Seneca libro III. de Ira: *Torserat per omnia quæ in rerum natura tristissima sunt, fidiculis, tribularibus, & Eculeo, igne, vultu suo.* Et in Antonium: *Ponite ante oculos vincula, verbera, Eculeum, Carnificem, tortoremque Samarium.*

Extorquendæ autem de servis veritatis caussa, Eculeum adhibitum fuisse, & supra

supra significavimus, cum de quæstionibus diximus, & docet Cicero pro Dejotaro, cum ait : *Cum more majorum de servo in Domum ne tormentis quidem quæri liceat, in qua quæstione dolor veram vocem illicere possit etiam ab invito, exortus est servus, qui quem in Eculeo appellare non posset, eum accuset solutus.* Pro Milone : *Sed quæstiones urgent Milonem. quibusnam de servis?* Item *Fæti in Eculeo quæstio est, juris in judicio.* Translatus est inde Eculeus ad cruciandos homines, & acerbiore supplicio afficiendos, quod in Christianis Martyribus patuit.

ANTONII GALLONII  
Rom. Congregationis Ora-  
torii Presbyteri.

*Libro de SS. MARTYRUM  
cruciatis.*

C A P U T III.

*De Equuleo Martyrii instru-  
mento, &c.*

*De E-  
quuleo.*

**M**EMINERUNT de equuleo torquendi instrumento cum Cicerone, tum alii multi: Cicero pro Deiotaro, & pro Milone, 7. item in Verrem, & Philip. 11. in Antonium: alii verò, ut Valerius Maximus lib. 3. cap. 3. Quintilianus declamatione ultima, Seneca lib. 3. de ira cap. 3. & 19. & epistol. 66. & 67. Ammianus Marcellinus lib: 14. 16. & 18. & res gestæ Martyrum ferè innumeræ, speciatim Crescentiani à Surio sub inscriptione B. Marcelli Papæ relatæ tom. 1. Dorotheæ virginis ab eodem tom. similiter 1. & à veteribus nostræ

nostræ bibliothecæ manuscri-  
ptis, Concordii martyris à Mom-  
britio tom. 1. & à prædicto Surio  
tomo pariter 1. Pontiani à Petro  
catalogi lib. 2. cap. 102. Agathæ  
à Surio tom. 2. & à veteribus ma-  
nuscriptis cùm nostræ bibliothe-  
cæ, tum aliorum; Acta item Eu-  
laliæ virginis à nobis in historia  
nostra Sanctorum virginum ex-  
ternarum recitata; similiter Ne-  
storii à Surio tom. 1. & à Petro  
lib. 3. cap. 152. Felicis & Fortu-  
nati ab eodem Petro catalogi lib.  
4. cap. 83. Antoninæ à Romano  
Martyrologio pridie Idūs Iunii,  
Felicolæ virginis à nobis in no-  
stra Sanctorum virginum Roma-  
narum historia, Processi & Mar-  
tiniani à Mombrizio tom. 2. Ja-  
nuarij & Paulæ à Petro lib. 5.  
cap. 85. Gundanæ virginis à Mar-  
tyrologiis 14. Kal. Auguſti, & à  
Petro lib. 6. cap. 112. Iustæ & Ru-  
finæ virginum à Petro vicissim  
libro prædicto cap. 117. Secundia-  
ni, Marcelliani, & Veriani à  
Mombrizio tom. 2. & à Petro lib.  
7. cap. 41. Reginæ virginis à  
Mombrizio etiam tom. superiùs  
citato,

citato. Eusebii & sociorum à veteribus nostris manuscriptis, & à Mombritio tom. 1. & à Petro catalogi lib. 7. cap. 111. Genesii à codicibus tam nostræ bibliothecæ manu exaratis, quām aliorum, insuper à Surio tom. 5. à Mombritio tom. 1. & à Petro lib. 7. cap. 110. Fausti, ejusque sociorum à Martyrologiis quibusdam, & ab auctore Thesauri concionatorum part. 2. Vincentii nobilissimi martyris à veteribus nostris manuscriptis, atque aliorum, Alexandri Episcopi à Petro catalogi lib. 8. cap. 102. & à Romano Martyrologio 11. Kal. Octobris, Theodori militis à non excusis bibliothecæ nostræ libris, atque à Martyrologiis quinto Non. Novembris; Maximi diaconi à Petro lib. 9. cap. 85. Bassi Episcopi ab eodem lib. 1. cap. 30. & ad extremum Marini à Mombritio tom. 2. & aliorum utriusque sexus innumerabilium.

Ad hæc, præter auctores, Actaque nuper citata, faciunt quoque de equuleo mentionem S. Cyprianus in epistola ad Donatum  
2. &

2. & lib. de laude martyrii, & sermone de lapsis; S. Hieronymus epist. ad Innoc. 49. B. Augustinus epist. 59. ad Marcellin. Eusebius lib. 8. cap. 11. Isidorus lib. 6. etymolog. cap. ult. Prudentius in suis hymnis s̄æpiissimè, & quidam recentiores magis diffusè, ut Singtonius lib. 3. de Judiciis cap. 18, Jacobus Pamelius in Cyprianum, in illa verba quæ in sermone de lapsis leguntur; *Nunc equuleus extenderet, nunc ungula, &c. &c. alii.* Conveniunt isti, fuisse equuleum torquendi instrumentum institutum olim ad exprimendam è noxiis conscientiis veritatem. sic Cicero pro Deiotaro, ubi ait: *Cum more majorum de servo in dominum tormentis quidem queri liceat; in qua questione dolor veram vocem elicere posset etiam ab invito; exortus est servus, qui quem in equuleo appellare non posset, eum accuset solutus.* & pro Milone: *Sed questiones, ut urgent Milonem, quibusnam de servis?* item: *Facti in equuleo questio est, juris in judicio.* & Tufcul. 5. ac 1.4. de finibus bon. & mal. & Valerius Maximus lib. 3. cap. 3. externorum. 2. de Zenone

nōne Eleazate, & 3. de Zenone altero, & 5. de Theodoro Syracusano, & lib. 8. cap. 4. de M. Agrīi servo, de Alexandro servo Fannii, & demūm de Philippo Fulvii Flacci. Idem affirmare videtur Ammianus Marcellinus lib. 18. dum ait: *Quamquam incurvus sub equuleo staret, pertinaci tamen negabat instantiam.*

Translatus est inde equuleus ad cruciandos homines, & acerbiore supplicio afficiendos: quod in Christianis martyribus patuit; quamobrem crebra ejus in rebus gestis ipsorum his verbis fit mentio: Equuleo tortus, Equuleo cruciatus, In equuleo suspensus, In equuleum levatus, in equuleum actus, & consimilia. In hoc igitur, quod hucusque diximus, nempe fuisse equuleum tormenti genus, quo ad extorquendam de reis veritatem utebantur antiqui, non differunt inter se scriptores, sed in ejus dumtaxat perfecta definitione ac forma explicanda.

*Sententia de equuleo diversa.* Quidam enim, ardenter fuisse laminam, scriptum reliquerunt. Quidam alii, tormenti genus, quo vincitis.

vincit superne manibus, & appensis utriusque pedi gravissimis ponderibus, pendens homo immaniter torquebatur. Alii vero, *Sigonii* ut *Sigoni*, & religiosi quidam sententia de equum-leo. eum secuti, catastam ligneam cochleatam ad intendendum & remittendum aptam, atque ad torquendos homines, ut facti veritas ciceretur, institutam : *Ceterum* (inquit) tormenti genus erat *hujusmodi*: ubi catast & huic brachia pedes que ejus qui torquendus erat, nervis quibusdam, qui fidicula dicebantur, alligaverant; tum catast intenta, atque in altum erecta, ut ex ea, quasi ex cruce quadam miser ille penderet, primum compagem ipsam ossium divellebant, deinde candentes laminas ejusdem corpori admovebant; tum bisulcis unguis ferris latera excarnificant, doloris acerbitatem augebant. haec eruditissimus *Sigoni*. Alii postremo, machinam fuisse ad equisimilitudinem (veluti infrà diffusè explicabitur) fabricatam, cum duabus striatis rotulis in extremis excavatisque ejus partibus positis, quæ quidem per axiculos ductoriis funiculis trajectis versabam-

sabantur; unde fiebat, ut rei illis alligati variè excrucientur, atque distenderentur. Fuit hujus opinionis P. Thomas Bozius nostræ Congregationis sacerdos, in historia quam de sanctis martyribus Papia & Mauro descriptis, nondum excusa. Hæ itaque sunt de equuleo scriptorum sententiæ, quarum quæ veræ, quæve falsæ sint, si studiosè diligenterque inspiciantur, apparebit.

*Prima sententia de equuleo reprobat.* Iam verò si primam spectemus, ceteris sine dubio minùs veram esse judicabimus: qui enim fieri potest, ut equuleum ardente laminam credamus, cùm in omnibus ferè martyrum rebus gestis, & in nonnullis antiquorum auctorum libris scriptum reperiatur, cruciandos homines in equuleo levatos, laminis fuisse ardentibus combustos? Deinde & ter tia opinio ex amina referamus, apertum fortasse per spicumque nobis nullo labore fiet, & improbabiles eas esse, & à veritate alienas. Etenim quoniam pacto poterunt ea, quæ de equuleo majores litteris confi gnârunt,

gnârunt , illis descriptionibus accommodari ? quod quidem tunc vel maximè non posse constabit , cùm opinionem extremo loco relatam , quam veram putamus , rationibus comprobabimus . Est autem ea (ut ex supradictis patet) hujusmodi : Equuleus apud veteres <sup>Senten-</sup> <sup>tia no-</sup> machina fuit lignea ad veri <sup>stra de i</sup> equi similitudinem fabricata , cum <sup>equuleo</sup> duabus striatis rotulis in extremis <sup>expli-</sup> excavatisque ejus partibus indi- <sup>catur.</sup> tis , quæ , cùm erat aliquis in ea torquendus , per axiculos ductoriis funiculis trajectis , versabantur : quo circa fiebat , ut illis alligatus variè excruciatetur , atque distenderetur .

Ut autem clariss & dilucidiūs , quæ paulò antè & quæ proximè de equuleo diximus , percipientur ; sciri convenit , consueisse veteres hoc modo equuleum construere . Præparabant initio operis faciundi stipitem rectum , longitudinis latitudinis- ve convenientis : in cuius extre- mis partibus , ipsorum industriâ aliquantulum excavatis , duas striatas rotulas , quæ per axiculos verti


verti possent, indebant: tum deinde, ut ex omni parte elevatus remaneret è terra, desumebant quatuor ligna eo paulò arctiora, atque minora, quæ deinceps clavis ferreis non longè ab ultimis stipitis partibus affigentes, fabricabant machinam quatuor quasi pedibus veri equi instar insistente. Quo peracto, si quis ibi equuleo torquendus aderat, in ipsum, vi cruribus devaricatis, conjiciebatur. Post hæc tortores funiculos aliquos sumentes, illorum altero cruciandi pedes, altero manus post tergum rejectas atque distortas vinciebant. Tunc rotulis, five orbiculis funiculos prædictos immittentes, & ad machinulam aliquam equulei pedibus affixam, succulæ (ut nobis probatur) similem, eosdem referentes, efficiebant, brachiorum ductu machinulam versantes, ut funiculi circa eam se involventes, extenderentur; & deinceps, ut illis alligatus, dorso super equuleum, & facie ad cælum versa, pariter extenderetur. Verùm cùm iterum ac sæpius in machinula vertenda

- A Martyr in Equuleo.  
B Martyr pendens ab equuleo.  
C Equuleus.  
D Fasces consulares. (equuleus.)  
E Tabulatum cui impositus erat



vertenda defatigari non desisterent, & ex hoc singula jam vincti membra, cunctis compagibus resolutis, essent distracta, longo temporis spatio vel sic eum permanere sinebant; vel, Iudice annuente, funiculos relaxantes, incurvum ac pendulum sub equuleo cadere, non sine maximo dolore faciebant. Quamobrem arbitratus tunc Iudex amplam condemnandi, aut absolvendi eum se nactum esse occasionem, de actis ejus acerrimè inquirere ac cognoscere prosequebatur. Quod si rei constantia spem ipsius fefelleret atque superasset, jubebat continuò igneas laminas, lampades, aut tædas ardentes afferri, vel etiam ungulas, uncos & consimilia, & his, vel horum saltum altero ejus latera, ceterásque corporis partes aduri, atque excarnificari, ut sic novi doloris acerbitas quæreret veritatem. Atque hæc de equulei forma & usu. Reliquum est modò, omnia & singula quæ de ipso explicavimus, rationibus, veterumque monumentis confirmare.

Martyr ab equuleo pendens  
funalium flammā, et lami-  
nis igneis sive ardentibus  
ustulatus.



*Equuleus e-* Ac primùm, machinam fuisse  
*rat ve-* ligneam ad veri equi similitudi-  
*ri equi* nem fabricatam, apertè ostendit  
*instar* nominis equulei interpretatio:  
*fabri-* equuleus enim pullum equinum,  
*catus.* id est, equum recenter natum,  
 significat. Præterea inveniuntur in hunc usque diem quædam scannorum genera elevata paulisper è terra, quatuor lignis, quasi quatuor pedibus sustentata, quæ hoc nomine vocantur, ut sunt quæ vulgò *cavalletti* dicuntur. Poteſt insuper demonstrari hoc idem ex descriptionibus & effectibus eidemmet equuleo ab antiquis scriptoribus attributis: unde Cicero Tusculan. quæſt. lib. 5. volens innuere sic in ipſo poni reos confueviſſe, ut in vero animatōque equo immitti quis ſolet, dixit, de equuleo instrumento torquendi loquens: *In equuleum conjiciuntur.* & paucis interpositis: *Veluti iſte in equuleum impositus.* & pòſt: *Conantem ire in equuleum,* &c. Ex his locis doctifimus Pamelius in Cyprianum collegit, fuisse equuleum, de quo h̄ic agitur, ab equi similitudine appell-

appellatum : siquidem ait : *Equuleum accipit Cicero lib. 5. Tuscul. quest. pro tormenti genere in formam equi, in quem conjiciebantur rei.* hæc ille. Præterea hoc idem clariùs significavit Pomponius poëta à Nonio Marcello relatus, his verbis : *Et ubi insilui* (quod proprium est illorum qui in equos ascendunt) *in cochleatum equuleum, ibi tollutim tortor.* perinde ac si diceret , Postquam ascendi in equuleum rotulas stria- tas habentem , inibi tollutim tortor , id est (ut Nonius Marcellus docet) volubiliter torqueor; quod quidem ratione rotularum in eo inditarum fiebat. Ad hæc , legimus sæpiissimè in martyrum pa- fionibus , speciatim in illa sanctorum Abundii & Abundantii , quam in veteribus nostræ bibliothecæ manuscriptis codicibus ha- bemus, fuisse Christianos in equu- leo levatos, ut in eo torquerentur. signum est ergo satis evidens, fuisse equuleum (ut declaravimus suprà) machinam ligneam equo similem , & non alio modo con- structam. Postremò huic sen- tentiæ proximè accedere viden-

tur S. Hieronymus ad Innoc. epist. 49. & Seneca: quorum ille, equuleo tortos, scribit, oculos in cælum conversos tenuisse: hic, in eo toto corpore prostratos jacuisse: namque ait B. Hieronymus: *Cum equuleus corpus extenderet, oculis, quos tantum tortor alligare non poterat, suspexit ad cælum.* Seneca autem: *Hoc nobis (inquit) persuadere conaris, nihil interesset, utrum quis in gaudio sit, an in equuleo jaceat.* Si igitur in equuleo rei & jacebant, & ad cælum suspiciebant; probabilius est, instar equi eum fabricatum fuisse, quam aliter.

Dicet fortasse quispiam, praedicta Senecæ verba non ita se habere, ut diximus: nam Muretus in suis ad prænotatam epistolam notis, ubi, *jaceat*, ipsi scripsimus, ille, *taceat*, correxit; unde inquit: *In equuleo tacéat; non indicet consciens; nihil eorum prodat, propter quæ torquetur.* Melius, haud dubiè, *Confundatur Muretus.* quam, ut in aliis, *jaceat.* Sed cùm id nulla prorsus afferat ratione, legendum esse credimus, *jaceat* & non, *taceat*: etenim non solum ejusmodi lectio antecedentibus aucto-

auctoris verbis est congruentior, sed cunctis etiam Senecæ codicibus, quos vidimus, quorum aliqui pervetus erant, conformior; siquidem in illis, *jaceat*, semper legimus, & numquam, ut Mureto placuit, *taceat*. Et de hac prima definitionis equulei parte satis.

Ceterum fuisse in eadem equu- *In e-*  
lei machina rotulas aliquas stria- *equuleo*  
tas, ex veteris poëtæ Pomponii *erant* prænotato versu elicitur, ut ex *rotulae* quæ-  
nuper dictis explicatisque patet. *dam.*

Quod autem rei in equuleo le- *Mar-*  
vati, brachiis post terga distortis, *tyres in-*  
pedibusque eidem equuleo funi- *equuleo*  
culis alligatis, & iis machinulis *bra-*  
quibusdam relatis, distenderen- *chiis* *post ter-*  
tur, atque dispergentur, hoc, *ga di-*  
inquam, ex multis locis cognosci *stortis* *exten-*  
potest: & primùm ex Eusebii hi- *deban-*  
storiæ libro 8. cap. II. ubi hæc *tur.*  
verba leguntur: *Quidam enim pri-*  
*mùm manibus à tergo colligatis ligno*  
*appensi, & machinis quibusdam mem-*  
*bra eorum universa distracta, distracta-*  
*que, &c.* Porrò esse hæc de equu-  
leo intelligenda, ea quæ continuè  
subsequuntur verba, non obscurè

indicare videntur; sunt enim hujusmodi : *Deinde à tortoribus ex mandato magistratum per totum corpus graviter divexati, & non quemadmodum cum homicidis agi solet, latera solum, sed venter, tibiae, & genae flagris ferreis casæ, seu (ut alii textus habent) unguis.* hæc ille. Deinde confirmare hoc idem quoque possumus ex B. Hieronymi epistola ad Innocentium 49. si quidem hæc in illa conscripta habentur : *At verò mulier sexu fortior suo, cum equuleus corpus extenderet, & folidas fœtore carceris manus post tergum vincula cohicerent, oculis, &c.* Præterea idem similiter ex Prudentio in B. Vincentii martyris hymno, in quo ita Tyrannus tortoribus imperat :

<i>Quomo-</i> <i>do mar-</i> <i>tyres in</i> <i>equuleo</i> <i>positi</i> <i>pente-</i> <i>decla-</i> <i>rabitur</i> <i>nfra.</i>	<i>Vinctum retortis brachiis</i> <i>Sursum ac deorsum extendite,</i> <i>Compago donec ossium</i> <i>divulsa membratim crepet.</i>  <i>Et in hymno S. Romani, ubi in-</i> <i>victus martyr ita ex equuleo lo-</i> <i>quitur :</i>  <i>Miserum putatis, quod retortis</i> <i>penedo</i>
---	---

*Exten-*

*Extensus ulnis, quod revelluntur  
pedes,*

*Compago nervis quod sonat crepan-  
tibus.*

Ex his itaque planè (ut nobis videtur) apparet, fuisse reos pedibus, distortisque brachiis Equulei funiculis vincitos, & quibusdam machinulis, ad quas hi funiculi referebantur, à tortoribus volutatis, articulatim consciissos, atque dissectos.

Has autem machinulas fuisse in Equuleo, præter id quod ex nulæ Eusebio asseruinus, posset etiam fortasse confirmari ex his, quæ habet Vitruvius lib. 10. cap. 2. 3. & 4. tractans de trochlearum usu, atque de aliis tractoriis machinis, ut de ergata, & succulis: docet enim, ductarium funem per trochleam, quam nonnulli etiam Rechamum dicunt, trajectum, debere postremò, ut onera per ipsum sublevari, vel dimoveri queant, ad aliquam machinam referri.

Jacuisse autem reos toto corpore in Equuleo prostratos, vultuque ad cœlum verso, dum funi-

leo ex-  
 tende-  
 bantur, culi intendebantur, indicant, &  
 toto quidem non obscurè, ea quæ pau-  
 corpore lò superiùs ex epist. S. Hierony-  
 in eo mi ad Innoc. 49. & Senecæ 66.  
 pro- strati, retulimus. unum tamen advertes  
 vultu (ut ex B. Hieronymi citata epi-  
 ad ca- stola monemur) solitos nonnum-  
 lum verso. quam fuisse carnifex, crines mu-  
 Crines lierum in equuleo torquenda-  
 quan- rum, augendi doloris studio, ad  
 doque ejus stipitem alligare : nec mi-  
 SS. mu- rum ; quia dum à tortoribus laxa-  
 lierum bantur funiculi, sub equuleum  
 in e- qualeo (veluti paulò infrà ex Ammiano  
 exca- demonstrabitur) incurvato cor-  
 cianda- rum, pore cadebant : quo circa earum  
 augen- capillos, quod summi immensi-  
 di dolo- que animi & corporis cruciatus  
 ris can- sà, ad erat, evelli quodammodo atque  
 ejus si- extirpari oportebat.

pitem Quòd autem funiculis, qui ex-  
 vincie- bantur, tensi erant, laxatis, rei incurva-  
 bantur. tensi erant, laxatis, rei incurva-  
 Quo- tis corporibus sub equulei machi-  
 modo nam caderent, testatur (ut alios  
 rei in- omittamus) Ammianus Marcel-  
 curva- linus lib. 16. Innocentes (dicens)  
 tis cor- poribus tortoribus exposuit multos, & sub  
 sub e- equuleo cepit incurvos. & lib. 18.  
 quin- Quamquam incurvus sub equuleo sta-  
 leum eade- ret, pertinaci negabat instantia. qui-  
 rent. bus

bus verbis, illisque præcipue, quæ lib. 18. leguntur, significavit auctor, augendi doloris gratiâ laxatos fuisse funiculos, & non (ut Sigonio, eumque sequentibus placuit) ejusdem remittendi causa: arbitratus est quippe vir iste lib. 3. de judiciis cap. 18. consuevisse veteres, remittendi doloris studio, funiculos, quibus in equuleo reorum corpora erant extensa, relaxare. unde inquit: *Ut autem incitandi doloris causâ equuleus aut fidicula tendebantur, sic ejusdem remittendi eadem laxabantur.* confirmat hanc sententiam majorum auctoritate inquiens: *Quocirca Valerius de patientia, nempe lib. 3. cap. 3. ita scriptum reliquit: Zeno cùm à Nearcho Tyranno torqueretur, esse dixit, quod secretò audire eum maximè expediret: laxatoque equuleo, aurem ejus morsu corripuit, atque abscedit.* Et paulò post: *in Theodoro quoque (ait) viro gravissimo Hieronymus Tyrannus tortorum manus frustrâ fatigavit: rupit enim verbera, fidiculas laxavit, solvit equuleum, laminasque extinxit priùs, quam efficeret, ut Tyrannicidij conscos indicaret.* Et Quin-

tilianus declam. ultima, ita : *An quæstionem illam fuisse credis, qualis vernilibus corporibus adhibetur?* ideo enim equuleum movebam artifex senex, tenebam fidiculas ratione savitiae, ut leniter sedibus suis remota compago per singulos artus membra laxaret. Ex quibus verbis (subjungit idem auctor) qui in laxando equuleo leniter fidiculas remisisset, eum aliqua ex parte doloris acerbitali consuluisse apparet. hactenus ille; cuius quidem rationes, si diligenter considerentur, eas non solum (pace ipsius dixerim) falsa quædam continere patebit, sed insuper nihil omnino concludere, manifestum fiet.

*Ratio-*  
*nes Si-*  
*gonii*  
*diluun-*  
*tur.* Continent primò quædam, quæ à veritate remota creduntur, nempe fidiculas fuisse funiculos illos, quibus rei equuleo alligabantur: siquidem (ut paulò inferius demonstrabimus) erant apud veteres fidiculæ idem quod ungulæ, & hæ idem prorsus quod illæ. Nec etiam concludunt: nam tametsi concederemus fidiculas fuisse funiculos, quibus rei vinciebantur, non idcirco conferetur ejus argumenta firma validaque esse: namque ipsa nec nobis

nobis aliqua ex parte obesse possunt, nec his qui contrà sentiunt prodeesse: non enim illis verbis, quibus ea fundantur, voluit Valerius Maximus indicare, funiculis relaxatis, doloris acerbitate consultum fuisse, sed potius virorum quorundam externorum invictum animi robur, atque constantiam; quippe ait: *Cùm Zeno à Nearcho Tyranno, de cuius nece consilium inierat, torqueretur, supplicii patriter, atque indicandorum gratiâ conscientum, doloris vîctor, sed ultionis cupidus, esse dixit, prædicto scilicet Nearcho, quòd secretò audire eum admodum expediret: laxatōque equuleo, posteaquam insidiis. opportunum tempus animadvertisit, autem ejus morsu corripuit, nec antè dimisit, quam ēr ipse vitâ, ēr ille corporis parte privaretur.* Ex his profectò verbis non colligitur laxatum fuisse equuleum remittendi doloris studio, sed ideo, ut Zeno, qui in eo torquebatur, posset Nearcho Tyranno, his, qui adherant, non audientibus, aperire secretum quoddam, sicuti ipse simulabat, illi maximè utile ac

necessarium. Non ergo Sigonius sententiam suam firmiter, ut sibi persuasit, demonstravit.

Advertere h̄ic velimus lectorem, laxari funiculos (ut verba Valerii Maximi jamjam recitata indicant) indicio fuisse, equuleum, sicuti initio capitis afferuimus, è terra aliquantulum ex omni ejus parte elevatum extitisse. Unde nullo pacto nobis admirationem movere Prudentius debet, si in S. Romani martyris hymno eumdem Christi militem ex equuleo, quasi ex alto quodam ligno pependisset, ita vociferantem inducat:

*Audite cuncti: clamo longè, ac  
prædico,  
Emitto vocem de catastæ celsior.*

Nam equuleus (ut ex verbis Valerij modò adductis ostendimus) erat convenienter sublevatus & altus. Jam verò ad rem nostram revertentes, putamus nec alteram Valerij auctoritatem ullo modo Sigonio favere posse; in illa enim hujusmodi verba, & quidem figurata habentur: *In Theodo-*

Tho<sup>r</sup>odoro quoque viro gravissimo Hieronymus Tyrannus tortorum manus frustra fatigavit. Rupit enim verbera, laxavit fidiculas, soluit equuleum, laminas extinxit prius, quam efficaret, ut tyrannicidij conscos indicaret. hucusque Valerius Maximus. Sed quid contra nostram sententiam ex his infertur? certe nihil: innuunt ea dumtaxat maximam fuisse in cruciatibus perferendis Theodori constantiam; siquidem rupit verbera, id est, flagella, quibus verberabatur; laxavit fidiculas, hoc est, ungulas disjunxit, quippe quæ (ut cap. 5. explicabimus) forcipes ferrei erant. solvit equuleum, id est, funiculos, quibus ligatus erat, disrupt: laminas extinxit, &c. Spectentur quæso paululum attento animo singula verba, & sic rem se habere constabit, atque insuper nihil contra nos ea pugnare apparet. Idem quoque eveniet, si Quintiliani verba, que ad suam sententiam confirmandam Signius adduxit, considerentur, quippe hoc modo se habent: *An tu questionem illam fuisse credis, qualis*

*vernilibus corporibus adhibetur? ideo enim equuleum movebam artifex senex, tenebam fidiculas ratione sauitiae, ut leniter sedibus suis remotâ compago per singulos artus membra laxaret.* Et quid hæc significant? significant profectò quemdam, qui in equuleo torquebatur, leniter in eo remisseeque extensum fuisse, ut sic leniter remisseeque pariter discerperetur: quare nihil omnino prædictæ tum Valerii, tum Quintiliani auctoritates in nostram sententiam efficiunt. Et hæc quidem hactenus.

### *Fidiculae quid essent apud veteres.*

S I G O N I U S loco nuper citato in ea fuit opinione, ut crediderit fidiculas, de quibus hic quærimus, fuisse vincula nervea, quibus reorum membra equuleo adhærebant; sive noxios fidiculis torqueri, idem esse, ac eosdem fidiculis equuleo alligatos intendendo, eorumdem singulas ofsum commissuras summo cum dolore distrahere: In hanc quoque sententiam scripsisse videtur  
Valla

Valla lib. 1. dum ait, *fidiculas esse instrumentum ex duobus obliquatis lignis compactum, ita dictum vel ab extorquenda fide, vel à nerveis funibus, quibus torquendi alligantur.* sic ille. Sed si ea, quæ de hismet fidiculis in Notis ad Romanum Martyrologium\* conscripta, atque firmissimis argumentis sunt comprobata, attento animo intuebimus, errasse prædictos scriptores sine dubitatione ulla intelligemus. Ceterū ut benigno lectori magis magisque satisfaciamus, ea omnia hic recitare nobis placuit. Sunt autem hujus generis.

Fidiculæ quidnam fuerint, exactè S. Isidorus demonstravit etymolog. lib. 5. cap. ultim. dicens eas esse ungulas ferreas, quibus damnati discruciantur: quo circa, inquit, *ungula dictæ*, quod *Ungula effodian*; haec & fidicula, quia iis cur *rei in equuleo torquentur*, ut *fides dicula* inveniatur. hæc Isidorus. Cùm itaque fidiculis, æquè ac ungulis, latera hominis in equuleo extensi finderentur, easdem ungulas ea de causa *fidiculas* appell-

\* XI.

*Kal.**Febr.*

appellatas esse , nobis par est credere , quod nimirum reorum latera & ipsa fiderent , sicque à *findendo fidiculas* nuncupatas esse , quasi *fidiculas* ; vel à *fodicando* , quia nempe reorum latera illis fodica-rentur ; nominatasque esse *fidiculas* : quasi *fodiculas* nam *fodicare latera fidiculis* , usurpatum apparet ab Ammiano , sicuti paucis interpositis versibus patefaciemus .

His primùm assentitur Prudentius in hymno S. Romani martyris , cùm quas vocavit *fidiculas* , easdem *ungulas* dicat. sunt enim apud eum hæc verba Asclepiadis Judicis :

— *Vertat iustum carnifex  
In os loquentis , inque maxillas ma-  
nuum ,  
Sulcosque acutos , & fidiculas trans-  
ferat ,  
Verbositatis ut rumpatur locus.*

Per *fidiculas* Asclepiadem intellexisse *ungulas* , quæ statim auctor subjungit , aperiunt his versibus :

*Implet jubentis dicta lictor impro-  
bus,*

Cha-

*Charaxat ambas unguis scriben-*  
*tibus*

*Genas, cruentis & secat faciem notis:*  
*Hirsuta barbis solvitur carptim cutis,*  
*Et mentum adusque vultus omnis*  
*scinditur.*

Hæc Prudentius. Eodera pariter sensu accipiuntur *fidicula*. I. *De curiones*. C. de quæst. siquidem *fidi-  
culis excruciarī*, vocat ibidem Im-  
perator, *cruentam conditionem*. sic  
apud Ammianum lib. 29. ubi  
hæc genera cruciatuum recen-  
sens, ita testatum reliquit: *Inter-  
cluduntur equulei, expediuntur ponde-  
ra plumborum fidiculis & verberibus.*  
cùmque non multò pòst reorum  
majestatis latera prædictis sup-  
pliciis fodicata affirmet, fidicu-  
lis id peractum esse jam constat.  
In hoc item sensu *fidiculas* de-  
sume, tam apud Josephum de  
Machab. lib. 5. quàm apud Se-  
necam libro 3. de ira cap. 3.  
Valerium de patientia libro 3.  
cap. 3. & Quintilianum decla-  
matione ultima, vel alios, si  
qui sint, nihil planè prohibet:  
immò ex Josepho, Valerio, &  
*Quintiliano clarissimè locis ci-  
tatis*

tatis colligi potest, per *fidiculas*, eos *ungulas*, & non aliud quicquam significare voluisse. Atque hæc quidem pro explicatione confirmationeque hujuscæ opinionis dicta sint. Verùm huic sententiæ adversari videtur Suetonius in Tiberio, apud quem aliud genus supplicii fidiculas dictas esse habetur ; namque in prænotato loco sic legitur : *Exco-  
gitaverat inter genera cruciatus, etiam,  
ut longa meri potionē per fallaciam one-  
ratos, repente veretris deligatis, fidi-  
cularum simul, urinaque tormento di-*

*Fidicu-* stenderet. hæc Suetonius : cujus  
*læ quid* nihilominus auctoritati satisfieri  
*apud* potest, si dicatur, fuisse ejusmodi  
*Suetoniu-* tormenti genus, cujus ipse me-  
*nium.* minit, remotissimum ab eo quod  
in sanctorum martyrum rebus  
gestis, aliisque citatis auctoribus, per fidiculas testatum appareat.  
Oppones adhuc fortasse huic no-  
stræ opinioni Valerium lib. 3.  
cap. 3. sic de Theodoro loquen-  
tem : *Rupit verbera, fidiculas laxa-  
vit, solvit Equuleum.* Sed certè quo-  
modo sint hæc verba interpre-  
tanda, atque exponenda, abundè  
jam

jam demonstravimus. Et de fidiculis satis.

Quod verò spectat ad id quod ultimo loco diximus de aliis quibusdam tormentorum generibus, quibus rei in Equuleo extensi excruiciabantur, observari *Exten-*  
*est opus, hanc consuetudinem si in e-*  
habuisse majores, ut corpore in *quuleo variis*  
*Equuleo extenso, fidiculis, vel tor-*  
ungulis ejusdemmet membra *mento-*  
fiderent, vel laminis carenti-*rum generi-*  
bus, aut consimilibus torrerent. *bus af-*  
Hæc cùm habeas in nonnullis flige-  
sanctorum martyrum Actis, S. *bantur.*  
Cyprianus demonstrat epist. ad  
Donatum his verbis: *Hasta illic,*  
*& gladius, & carnifex præsto est, un-*  
*gula effodiens latera & deradens, E-*  
*quuleus extendens ignis exurens, ad*  
*hominis corpus unum supplicia multæ.*  
& lib. de lapsis: *Sed cum, durissimi*  
*Judicis recrudescente savitia, jam fati-*  
*gatū, nunc flagella scinderent, nunc con-*  
*tunderent fustes, nunc Equuleus exten-*  
*deret, nunc ungula effoderet, nunc flam-*  
*ma torreret.* & l. de laude Martyrii:  
*Hoc verò quod Equuleo corpus extensum*  
*candentes stridet ad laminas, non exem-*  
*pti sanguinis, sed temptationis est causa.*  
Et

Et S. Augustinus epistolâ ad Marcellinum 59. *Quando, ait, tanto-rum scelerum confessionem non extenden-dente equuleo, non sulcantibus ungulis, non urentibus flammis, sed virgarum verberibus eruisti?* & S. Hieronymus epist. ad Innoc. 49. pluribus. Cicero item 7. in Verrem, dum ait: *Quid cùm ignes, ardentesque la-mina, ceterique cruciatus admoveban-tur?* & in Anton. Philip. 11. *Po-nite ante oculos vincula, verbera, equu-leum, carnificem tortoremque Samari-um.* & Seneca lib. 3. de ira cap. 3. *Apparatusque, inquit, illi reddendus est suus, equulei, & fidiculae, & erga-stula, & cruce, & circumdati defixis corporibus ignes, & cadavera quoque trahens uncus.* Amplius Ammianus Marcellinus lib. 14. *Intendebantur equulei, uncoisque parabat carnifex, & tormenta.* ad hæc Prudentius quoque in Vincentii martyris hymno his versibus:

*Extorque, si potes, fidem.*

*Tormenta, carcer, ungulae,*

*Stridensque flammis lamina,*

*Atque ipsa pœnarum ultima*

*Mors Christianis ludus est.* & post:

*Ridebat hac miles Dei,*

*Manus cruentas increpans,*

*Quod*

*Quod fixa non profundius  
Intraret artus ungula.*

Et in hymno B.Romani similiter  
martyris:

*Amor coronæ, penè prævenit trucem  
Lictoris artem, sponte nudas offerens  
Costas bisulcis execandas ungulis.*

& infra:

*Non unguarum tanta vis latus fo-  
dit*

*Mucrone, quanta dira pulsat pleu-  
resis:*

*Nec sic inusta laminis ardet cutis,  
Ut febris atro felle venas exedit.*

His demum omnibus addi pos-  
funt, quæ litteris tam Valerius  
Maximus, quam Quintilianus  
locis paulò superiùs citatis prodi-  
dere: idem enim optimè demon-  
strant atque confirmant.

Ex his ergo omnibus jam dilu-  
cidè apparet, verissima certissi-  
maque esse, quæ de equuleo &  
declaravimus, & asseruimus.  
Namque descriptionibus alio-  
rum hujuscce capitis initio addu-  
ctis, nulla prorsus ratione, quæ  
ex antiquis monumentis de eo  
accepimus, accommodari que-  
unt. Et quidem si vera potissi-  
mum est Sigonii sententia, quo  
pacto

pacto aptari Equuleo poterunt, quæ apud Nonium poëtam Pomponius scripta reliquit, nimirum reos in Equuleo insilire consuevisse? & quæ Cicero Tusculan. quæst. lib. 5. nempè eosdem conjici, immitti, & ire solitos in Equuleum, quod proprium illorum est, qui veros equos ascendunt? Deinde quomodo hæc alia ab Ammiano Marcellino locis suprà notatis defumpta, videlicet, Equuleo tortos, funiculis, quibus alligati erant, laxatis, confestim sub ipsum corpore non recto, sed incurvato cecidisse? quibus pariter adjungi possent, quæ scriptis mandavit Valerius Maximus lib. 3. cap. 3. externorum 3. de Zenone quodam in Equuleo torto. Amplius, quam ratione etiam, quæ Seneca epist. 66. & 67. scilicet, jacuisse reos, dum torquerentur in Equuleo, & 67. eos funiculis tensis in Equuleo longiores, quam antea essent, effectos? siquidem juxta Sigonii opinionem (ut infrà magis patebit) Equuleo extensi, non longiores, sed potius

potius latiores fiebant. Præterea si verum est, ut ex S. Hieronimi epist. 4. verum esse ostendimus) homines, cum equuleo distenderentur, facie ad cælum versa remanere confuevisse, liberum quippe illis erat oculos sursum tollere, & cælum aspicere; consequitur sententiam nostram de equuleo longè aliis & certiorum esse, & veriorem, & antiquorum dictis congruentiorem. Ceterum accedamus nunc ad rationes Sigonii refellendas.

*Di-*

*lumentur*

*alio-*

*rum*

*ratio-*

*nes in*

*senten-*

*tiam*

*nostram*

*de e-*

*quileo.*

Erat prima hujus generis : Eusebius Ecclesiast. hist. lib. 5. c. 1. de equuleo verba faciens, innuit ipsum ligneam fuisse catastam, atque in sublime tolli solitam ; ait sententiamque : *At cum tyrannica crudelique illa suppliciorum genera, per beatorum patientiam Christi virtute quileo. firmatam, frustra imposita irrogataque viderentur ; diabolus alias quasdam machinas de integro contra illos excogitavit: nempe, ut in carcerem conjecti, interdum in locis horrida caligine obsitis & plenis molestiarum misere jacarent ; nonnumquam illorum pedes in crassas compedes impositi distinerentur. Ad quintum usq; foramen longa inter-*

*cape-*

*capedine interposita distenderentur. Ig-*  
*tur, subjungit Sigonius, equuleus*  
*catasta lignea fuit: eo siquidem damna-*  
*torum corpora extendebantur. Amplius*  
*Sozomenus hist. lib. 5.*  
*c. 10. de Busiri Christiano homi-*  
*ne ex urbe Galatiæ Ancyra apud*  
*Myrum Phrygiæ oppidum sub*  
*Imp. Juliano Apostata pro fide*  
*cruciato loquens: Et cùm, inquit,*  
*ad tortorium lignum adduxissent, in*  
*sublime tolli jussit, &c cap. 20. Ex Chri-*  
*stianis in vincula conditis Theodorum*  
*adolescentem primo loeo productum, ad*  
*palum, in quo supplicia solebant in-*  
*ferri, alligat. hic unguis diu laceratus,*  
*&c. Ad hæc, confirmare videtur*  
*hoc idem Prudentius in hymno S.*  
**Romani martyris**, cùm eundem  
*beatum virum ex equuleo hoc*  
*modo vociferantem inducat:*

*Audite cuncti: longè clamo, ac præ-*  
*dico,*

*Emitto vocem de castata celsior.*

*Qua de causa eundem antè pen-*  
*filem virum dixerat:*

*Scindunt utrumque milites teter-*  
*rimi.*

*Mucrone bisulco pensilis latus viri.*  
*Et hæc sunt prima argumenta*  
*cùm*

cùm Sigonii, tum ejus opinionem sequentium, quæ sigillatim à nobis enodanda ac dissolvenda erunt. Verùm ut facilior eorumdem ac clarius appareat solutio, quædam antè notanda, declarandaque proponemus: Et primò, permiscuisse Sigionum, confusisque equuleum cum catasta, necnon & cum genere illo compedium, quo rei in carcere positi, injectis ad quartum vel quintum foramen pedibus, ad jugem cruciatum sic vincit detinebantur.

Quamobrem meritò reprehendens videtur: siquidem catasta (ut ex his constat, quæ habet Jacobus Pamelius in notis ad epistolam S. Cypriani martyris 33.) locum vel maximè ac propriè significat eminentiorem, quem vulgò *Palcum* dicimus, in quo vel de reis, vel de Christianis martyribus sumebatur supplicium: ad quam quidem significationem proximè accedit B. Cyprianus loco prædicto de catasta mentionem faciens, & Prudentius poëta pariter in Romani martyris hymno illis verbis:

*Audite cuncti : longè clamo , ac p̄-  
dico ,*

*Emitto vocem de catastacelſior.*

Ad hæc , designat hæc eadem vox , catasta , licet non ita propriè , machinam quamdam longæ magnæque compedis formam habentem , quâ servi detenti venum exponebantur. Præterea non propriè etiā significat ipsa met torquendi instrumenta. quo circa Prudentius peristeph. hymno 2. de Laurentio martyre sic cecinit :

*Postquam vapor diutius*

*Decoxit exustum latus ,*

*Ultro è cataſta (id est , è crate fer-  
rea) Iudicem*

*Compellat affatu brevi :*

*Converte partem corporis ,*

*Satis crematus jugiter.*

Idem peristeph. hymno 1.

*Verbera post vim crepantum ,*

*Post catastas igneas.*

Cata-  
fta di-  
versa  
est ab  
equulco. Cūm igitur catasta (veluti pluri-  
bus in notis ad prædictam B. Cy-  
priani epistolam demonstravit  
Pamelius) locum præcipue edi-  
tiorem significaret, in quem cru-  
ciandi homines, ut illorum tor-  
menta

menta ab his qui aderant aspici possent, elevabantur; sequitur, confudisse Sigonium in equulei definitione assignanda (ut jam perspicuum est) ipsummet equuleum cum catasta.

Dicet fortasse quispiam, per catastam prædictum auctorem equuleum intellexisse, & non aliud, cum & ipsa tortorum instrumenta hoc nomine in Actis sanctorum martyrum appellata reperiantur. Sed adhuc convincitur permiscuisse equuleum cum catasta: siquidem quæ in rerum definitionibus seu descriptionibus collocantur, secundùm propriam terminorum significacionem, & non aliter collocari convenit. Præterea si per catastam mente complexus est ille equuleum, idem profectò fuisset, ac si eumdem definiendo, equuleus, dixisset, est equuleus: à quo rerum vim explicandi modo & definitiones & descriptiones, quam maximè fieri poterit, abhorrere debent. Et hæc de catasta.

Nunc autem agamus de genere illo compedium, quo rei in

carcere positi, injectis ad quar-  
 tum vel quintum foramen pedi-  
 bus, ad perennem cruciatum de-  
 tinebantur. Sensit de hoc Sigo-  
 genere nius loco prædicto, non aliud esse  
 ab equuleo, sed prorsus idem cum  
 illo : quod certè dici nulla ratione  
 potest : tum quia hoc damnati ho-  
 mines latiores fiebant, illo ve-  
 rò (ut suprà ex epistola 67 Se-  
 necæ retulimus) longiores : tum  
 etiam quia (ut in Notis ad Mar-  
 tyrologium Romanum \* le-  
 gitur) hoc eodem compedium  
 genere rei in carceribus dum-  
 taxat (sicuti infrà, cùm de vincu-  
 lis agemus, magis patebit) excru-  
 ciabantur ; illo autem (uti marty-  
 rum acta ferè innumera clamant)  
 extra carceres, sæpiissimèque in  
 locis urbium publicis. Præterea  
 equuleo non solùm reorum pedes  
 ad fossionem ungularum disten-  
 debantur, sed totum similiter  
 corpus, hisce verò compedibus  
 tantummodo pedes. diversæ igit-  
 tur penitus erant hæ ab equuleo



- A. Reorum corpora trochlearis extendebantur.  
B. Reus pollicibus manuum suspensus, gravibus saxis ad pedes alligatis  
C. Rei stipiti alligati unguis, uncis, scorpionibus, et pectinibus  
ferreis dilaniabantur.



*De quampluribus modis, quibus  
reorum corpora extende-  
bantur.*

SCI R I amplius convenit, hoc in more antiquorum extitisse, ut reorum corpora plurimis modis ad eā vi quodammodo discerpenda distenderentur, equuleo nimirum, trochleis, suspendiōque, gravibus appensorum pedibus additis ponderibus, &c insuper, ut ad eadem corpora diversis variisque aliis suppliciis afficienda, utpote unguis, ferreisque pectinibus, &c ceteris generis ejusmodi dilananda, vel laminis igneis, aut consimilibus torrenda, variis pariter viis id conficeretur, nempe vel excruiciandis in equuleum levatis, vel aliquo ex prædictis superiùs cap. 1. modis appensis, vel stipitibus, arboribus, aut columnis alligatis, aut similibus quæ quidem omnia ac singula ipsi jam abunde cap. 1. atque 2. demonstravimus.

*De modo, quo equuleo alligati,  
ex eo quasi ex alto quodam li-  
gno pependerint; & quid sit  
reum in equuleo suspendi.*

LEGUNTUR sæpiissimè in sanctorum martyrum passionibus hujusmodi verba, Martyr in equuleo suspendebatur. ex quo loquendi genere defumpfere quamplurimi, equuleum non fuisse veri equi instar (ut diximus) fabricatum, sed aliter. Hi fortasse non considerarunt, quæ ex antiquorum auctorum libris recitavimus, nedum hoc verbum, suspendi, denotare etiam elevari in aliquem locum; namque si ista spectassent, non induxissent quod inducere nulla ratione poterant. Martyrem ergo in equuleo suspendi, idem est, ac martyrem in eum levari. Hinc fit, ut in nonnullis Sanctorum martyrio coronatorum rebus gestis, sub Judicis, aut Imperatoris nomine aliquem in equuleo torqueri jubentis, hæc verba

verba conscripta reperiantur: *Levetur hic in equuleum, & ibidem torqueatur.* Quocirca in Actis beatissimorum Abundii presbyteri, & Abundantii diaconi, quæ S. Mariæ Majoris Canonici, & nos manuscripta habemus, hæc narrantur. *Tunc Diocletianus jussit eos levari in equuleo, & diu torqueri.* qui cum diu torquerentur, &c. Suspendi igitur in equuleo, idem prorsus significat, ac in eum elevari.

Præterea confirmatur hoc idem Actis SS. virginum Reginæ à Petro relatis lib. 8. cap. 47. & Margaritæ ab eodem lib. 6. cap. 120. in hujus quippe rebus gestis, cum jam in eorum initio dictum fuisset, *Suspendatur Margarita in equuleo,* postea aliquibus interpositis versibus, ista subduntur: *Post dies plurimos convenientibus populis, Iudici presentatur, & sacrificare contemnens, iterum in equuleo levatur, &c.* idem igitur erat.

His denique addere possumus, *Martyres equuleo alligatos pendisse: siquidem funiculis, qui bus vinciti erant, laxatis, corpo-* tyres pende- bant en equuleo.

re sub equuleum incurvato, ca-debant: quamobrem non recto, sicuti qui suspendio affici solent, corpore ab equulei machina pen-siles quandoque fiebant, sed (ut afferuimus) curvato; cuius rei lo-cupletissimum testimonium af-fert Ammianus Marcellinus lo-cis suprà citatis, nempe lib. 16. & 18.

*De equulei extensione.*

REPERITUR nonnumquam in Ammiano Marcellino &c aliis quibusdam, equuleum intendi, ac remitti consueisse: quod pro-fectò sic est exponendum, ut in-telligamus eum non ratione sui, sed funicularum dumtaxat, qui-bus torquendus alligatus erat: iis siquidem extensis, aut laxatis, equuleus quodammodo extendi, aut laxari videbatur. innuit hoc (ut alios omittamus) Valerius Maximus lib. 3. cap. 3. de Theo-doro quodam excruciatu verba faciens.

*Cur Equuleus dictus fuerit stipes, & quare crux, declaratur.*

ERAT in Equulei machina (ut suprà tetigimus) stipes quidam oblongus, qui quatuor lignis, quasi quatuor pedibus, sustentabatur. de hoc meminit S. Hieronymus epist. ad Innoc. 49. his verbis : *Crines ligantur ad stipitem, & toto corpore ad Equuleum fortius alligato, vicinus pedibus ignis apponitur, utrumque latus carnifex fodit, &c.* Ex hoc eodem stipite appellavit Prudentius in Romanii Martyris hymno totam Equulei machinam stipitem noxiamem; sic enim ibidem cecinit :

*Incensus his Asclepiades jusserat  
Eviscerandum corpus Equuleo emi-  
nus*

*Pendere, & uncis ungulisque cre-  
scere.*

Et paucis interpositis verbis :

*Iubet amoveri noxiamem stipitem,  
Plebeja clarum poena ne damnet  
virum.*

*Equin-* Hæc Prudentius. Nec solum re-  
*lens di-* peritur equuleus ita vocatus, sed  
*cus in-* alio quoque nomine, nempe (ut  
*venitur* doctissimus Briffonius docet lib.  
*mala* *mansio.* de verborum significationibus)

*Equis-* *Mala mansio.* Quamobrem dum  
*lens* ff. de poenis legitur, *Extendebat-*  
*crux di-* *tur aliquis ad malam mansionem,* per-  
*etitur.* inde est ac si diceretur, *Exten-*  
*debatur equuleo.* Ad hæc, *Crux*  
*etiam dictus invenitur.* Quo-  
*circa in Actis B. Dorotheæ vir-*  
*ginis & martyris à Surio to-*  
*mo i. & à veteribus manuscri-*  
*ptis in festivitatibus Febr. recita-*  
*tis, hujusmodi verba de quodam*  
*Theophilo in equuleo torto nar-*  
*rantur : Ecce modò Christianus sum;*  
*quia in cruce, id est, in equuleo, su-*  
*spensus sum. Equuleus enim crucis*  
*quamdam similitudinem gerit.* hæc  
*ibi. Et certè mirandum non est*  
*fuisse eum hoc modo nuncupa-*  
*tum, tum quia alia tortorum in-*  
*strumenta cruces etiam dici*  
*quandoque legimus ; tum quia*  
*corpora eorum, qui in eo tor-*  
*quebantur, extendi solebant,*  
*non secus ac in crucem agendo-*  
*um : tum demum, quia ligna*  
*illa,*

illa, quæ erant quasi equulei pedes, dum stipiti affigebantur, quodammodo conjugebantur inter se, atque constringebantur, licet terram versus aliquantulum disjungerentur, ex quo contingebat, ut duo ex illis lignis essent tamquam duo crucis brachia, id est, ejus transversa.

Verum rebus hisce hoc modo expositis ac declaratis, reliquum est, ut fidenter jam argumentorum solutionem aggrediamur.

Primo itaque dicimus, noluisse Eusebium per verba illa, quæ contrarium opinantes adducunt, equuleum denotare, sed genus illud compedium, quo rei in carcere positi, divaricatis cruribus, ad quartum vel quintum foramen distendebantur.

Alteri deinde respondemus, verba Sozomeni nil contra sententiam nostram efficere: siquidem (ut diximus) Martyrem in equuleo suspendi, idem prorsus erat, ac in eum elevari; immo ipsem Sozomenus hoc idem

paulò pōst ostendere videtur, dum de eodem Christiano loquens, ait: *In publicum locum ad Equuleum deducens Busirim, sublimem suspendi jubet. Tunc Busiris, manibus ad caput sublatis, suanudavit latera: & ad Praesidem dixit, non esse opus, ut lectores in ipso tum in Equuleum tollendo, id est, elevando, tum inde rursus deponendo, laborem frustra susciperent: se enim, &c.*

Eodem quoque modo satisfieri putamus alteri Sozomeni auctoritati: nec mirum, si Equuleum quidam ex ejus interpretibus *palum* nominârunt; quia (ut suprà largiter copioséque declaravimus) dictus etiam *stipes* invenitur. His quoque addere possumus, Sozomenum fortasse non semper Equuleum denotare voluisse, sed & quandoque erectum palum: his namque (sicuti jam cap. i. asseruimus) excruiciandi homines alligari solebant.

Demum Prudentii verbis respondeamus, & primū ex hymno sancti Romani depromptis, nimirum:

*Scindunt utrumque milites tetricimi*

*Mu-*

*Mucrone bisulco pensilis latus viri.*

Pensiles fuisse reos ab Equuleo, corpore incurvato, non autem recto, vide quæ suprà sunt explicata.

Deinde aliis ex eodem loco desumptis, nempe:

*Audite cuncti: longè clamo, ac prædico,*

*Emitto vocem de catastæ celsior.*

His dicimus, per *catastam* (ut Pamelio loco superiùs notato, &c aliis placuit) intellexisse Prudentium locum quemdam editorem, quem vulgo *Palcum* nominamus, non autem Equuleum.

Deinde, si per *catastam* Equuleum adhuc intelligere velles, non idcirco sequeretur opinionem nostram à veritate distare: ex Valerio enim Maximo jam suprà ostensum fuit, fuisse eum nonnihil elevatum è terra. Quamobrem cecinit ille:

*Audite cuncti: longè clamo, ac prædico,*

*Emitto vocem de catastæ celsior.*

Verùm notari posset, non fuisse catastam (ut cuidam non dislocuit) novum aliud Martyrii instru-

strumentum, sed vel locum editorem, in quem torquendi ele-  
varentur, vel aliquod ex torto-  
rum instrumentis, ut cratem fer-  
ream, Equuleum, aut aliud hu-  
jusmodi. Ceterum fuisse Equu-  
leum catastæ nomine compre-  
hensum, innuunt inter alia S.  
Dorotheæ virginis res gestæ à  
Surio tomo I. relatæ: ibidem  
quippe narratur, dedisse Judi-  
cem nomine Sapritium beatæ  
Martyri optionem hanc, velitne  
potius venerari deos, an in cata-  
sta torqueri. Et respondente  
Christi virgine, numquam se  
deorum simulacris sacrificatu-  
ram, jussit ille in Equuleo tor-  
queri. Cùm igitur antea mi-  
natus ei fuisset Sapritius, nulla  
Equulei mentione facta, catastæ  
supplicium; consequi ex hoc  
posse videtur, per catastam, E-  
quuleum denotare voluisse. Di-  
ximus, ejus res gestas hoc tan-  
tummodo innuere, quia affir-  
mare etiam possemus, per cata-  
stam ibidem non Equuleum, sed  
locum illum editorem intelle-  
xisse, in quem (ut suprà dictum  
est

est cruciandi martyres elevabantur. idem etiam penitus credimus afferendum de his, quæ in Actis S. Cyriaci martyris de casta referuntur, de qua similiter plura egimus in tractatu quem vulgari sermone de Instrumentis torquendi superioribus annis in lucem edidimus.

*Acta  
S. Cy-  
riaci*

*reci-  
tant*

*vetera  
manu-*

*scripta*

*tum no-  
stra bi-*

*bliothe-  
ca tam.*

*S. Ma-  
ria Ma-  
joris.*

\* \*

*Quoniam in hoc capite tertio Gallonii non uno in loco mentio facta est Ungularum, Uncorum, & Laminarum ardentium, quibus Christianorum veterum corpora in equuleo posita excarnificabantur, operæ pretium facturi videmur, si brevem illorum, similius que instrumentorum, descriptionem ex eodem Gallonio hic annexerimus.*

*De Instrumentis quibus Christianorum veterum in equuleo positorum carnes discerpebantur Ungulis nempe, Uncis & pectinibus ferreis.*

Tribus distinctis instrumentis dæmonum cultui dediti excarnificabant,

ficabant, *Ungulis nimirum, Uncis & pectinibus ferreis.* Primi generis horum mentionem faciunt Cyprianus ad Donatum epistola 2. *Hasta inquit, & gladius, & carnifex præsto est, ungula effodiens,* & sermone de lapsis: *Nunc equuleus extenderet, nunc ungula effoderet.* S. Augustinus epistola 158. *Quando habet tantorum scelerum confessio- nem, non extendente equuleo, non sul- cantibus unguis, &c.*

*Ungu-  
larum  
fabrica  
expli-  
cata.*

Erant *Ungula* genus quoddam forcipis ferreæ fabricatæ eo modo quo jam explicaturi sumus.

Conjungebantur primùm duo simul ferri frusta oblonga aliquantulūm, eo prorsus modo, quo illa forcipis ferreæ fabrorum connecti copularique solent: quorum extremæ partes rotundæ erant, & prope earumdem finem paululūm excavatæ, quod idcirco fiebat, ut hastulæ aliquæ in ipsis includi atque affigi possent, ad majorem commoditatem carnificum reos aut SS. Martires in Equuleo positos, vel stipitibus affixos, vel sublime appendos discerpentium, Ostendit id.

id fragmentum quoddam hastulæ semicombustum pariter rotundum, quod ibidem fixum cernitur. In partibus vero superioribus, à conjunctione nimirum amborum frustorum ferri incipiendo, unius palmi erant longitudinis, duorum digitorum latitudinis, exiguaeque crassitudinis, subtilest fiquidem ac exiles construebantur. Porro his ferrei sex mucrones affigebantur, terni in singulis, hoc ordine servato, ut in alterius illarum medietate duo mucrones ejus fermè superficie fixi essent, in medietate vero alterius unius tantummodo adversus duos; qui, si contingebat forcipes constringi, quia in frusti medio affixus erat, duobus prioribus aculeis quodammodo obviam fiebat, atque occurtabat, per eos quasi seipsum trajiciendo. Amplius in iisdem etiam partibus alii totidem mucrones in earum (ut ita dicam) capitibus inerant, aculeorum ordine dumtaxat immutato. Unde eveniebat, ut carnes illorum, quibus ad moverentur, mucronibus illis & fo-

& fodicarentur, & fulcarentur. Quocirca mirandum nulla ratione erit, si ex suprà citatis auctori- bus aliqui de ungulis loquentes, illas dixerint bisulcas, illisque tamquam earum proprium attribuerint fulcos carnibus damna- torum imprimere.

Variis modis excarnifican- tur Christiani Ungulis ; quandoque equuleo, vel palis, aut columnis alligati ; quandoque verò sublime appensi, capite etiam nonnunquam ad terram verso.

### *De Uncis Martyrii instrumentis.*

Meminit de Uncis Cicero Phi- lip. i. dum ait *Uncus impactus est fu- gitivo illi*. Ammianus Marcellinus lib. 7. his verbis : *Intendebantur equulei, uncosque parabat carnifex*. Seneca lib. 3. de ira cap. 3. *Cada- vera quoque trahens uncus*. Sidonius Apollinaris l. 1. epistola 7. in fine. *Uncum, inquit, & Gemonias, & la- queum per horas turbulentis carnificis perhorrescens*. Ad hæc, acta S. Se- bastiani Martyris à veteribus manu- scriptis, & à Surio tomo 1. re- citata,

citata, ubi hæc verba leguntur:  
*In cloaca, que est juxta Circum,*  
*quare, & ibi invenies corpus meum*  
*pendens in unco.*

Ex quibus constat, solitos fuisse veteres uncis uti, non solum ad reos excarnificantos, vel pertrahendos ad poenas, hoc est, ad scalas Gemonias, sed etiam ad eosdem sublime appendendos, & demum ad infames, multisque flagitiis atq; sceleribus astrictos, qui ex hac vita discessissent, trahendos in fentinas, ac sordium receptacula, vel in Tiberim.


Quamobrem mirari desinamus, si de B. Sebastiano scriptum deprehendatur, fuisse ejus corpus post obitum ipsius in cloacam Maximam unco protractum: Christiani quippe à Gentilibus, tamquam viri flagitii dedecorisque pleni, ac si in decoro nati fuissent, habebantur. Optimè igitur uncus circumscribi definiri que potest hoc modo: Uncus, baculus est oblongus, sive hastula oblonga ab altero latere ferramentum habens incurvum, ac in se retortum; *Uncus quid sit, explicatur.* quod

quod instrumenti genus in usu Romanis erat ad pertrahendos damnatos ad scalas Gemonias, atque ad eosdem puniendos, & demum ad cadavera flagitiosorum hominum in publicas cloacas trahenda.

*De pectinibus ferreis martyrii instrumentis.*

Ad discerpendas quoque Christi fidelium carnes ferrei pectines adhibebantur. Confirmant hoc eorundem res gestæ, speciatim Blasii recitatæ à veteribus manuscriptus cum nostræ bibliotheca, tum aliorum. Similes <sup>Pecti-</sup><sub>nes fer-</sub> erant hi pectines, sicut nomen <sup>rei quo-</sup><sub>modo</sub> ususque illorum indicant, & de-<sup>constru-</sup><sub>cti</sub> nique quidam qui in pervetus S. Blasii imaginibus picti cernuntur, à veterum exemplaribus (ut docti viri opinantur) desumpti; similes, inquam, hi erant pectinibus illis, quibus lana pecti sollet. Affigebatur his ferreis pectinibus hastula quedam convenientis longitudinis, non secus ac unguis fieret: his enim martyres

A Vngulæ  
B Pectines ferrei  
C Vnci



res etiam excarnificabantur. Tria igitur erant instrumenta ad discerpendas sanctorum Martyrum carnes fabricata, ungulæ videlicet, uncus, ac pectines ferrei. Quod verò attinet ad modum, quo Martyres pectinibus dilacerabantur, sciri convenit eo prorsus his fuisse Sanctos Martrio affectos, quo unguis afficiebantur.

*De laminis igneis, & facibus,  
atque ardentibus lam-  
padibus.*

**Imma- Qua M v i s Gentes in Chri-**  
*ritas* **sti contemptum , flagellis , un-**  
**Genti- llium in gulisque & consimilibus (ut jam**  
*lum in* **sanc̄tos à nobis dictum est) utriusque**  
**Martyres. sexus Christianos in Equuleo**  
**Calx , tortos , dilaniari , extendique ad**  
**& quartum vel quintum foramen**  
**plum- jussissent ; non tamen idcirco**  
**bum , & eorum rabies explebatur : unde**  
**testacea eveniebat , ut saepissimè super**  
**fra- gmenta illorum recentiora vulnera vel**  
**in san- vivam calcem , vel liquens plum-**  
**ctorum bum , aut oleum fervens , vel aliud**  
**carnifi- simile**  
**eina .**

simile perfundi facerent, vel testaceis fragmentis eadem dilatari, aut textis ex pilis confectis valde atteri, confricarique mandarent; vel denique laminis cudentibus, facibus, atque ardentibus lampadibus eosdem sic male affectos miserandum in modum torri decernerent. O felices illorum temporum Christianos! his si quidem cruciamentis, idololatris nescientibus, seipso acceptabiles vivasque hostias Deo venti, non sine ingenti laetitia, offerebant. Tractabimus igitur hoc loco de tribus hisce aduendi instrumentis, & primùm de laminis igneis, deinde de facibus, postremò de lampadibus ardentibus.

*De laminibus ardentibus.*

MENTIO fit de laminis ardentibus à Plauto in Asinar. his verbis:

*Stimulos, laminas, crucésque.*  
à Cicerone in Verrem actione 7.  
*Quid enim, inquit, cum ardentes lami-*

*lamina, ceterique cruciatus admovebantur?* ab Horatio epistolarum lib. 1. epistola ad C. Numonium Vallam 15. ubi sic ait:

*Scilicet ut ventres lamina candente nepotum*

*Diceret urendos correctus.*

à Cypriano de laude Martyrii: *Corpus namque (ait) extentum candentes stridet ad laminas.* à Prudentio in Vincentii Martyris hymno 5. sic:

*Stridensque flammis lamina, &c.*

& in Roman. hymno 10.

*Nec inusta laminis ardet cutis.*

& à Victore de persecutione Wandalica lib. 1. *Tunc etenim nostrae civitatis venerabilis Papinianus Antistes candentis ferri laminis toto adustus est corpore.* & alibi saepe. Hoc cruciatus genere Acta sanctorum martyrum conferta & plena sunt, meminitque ejus frequentissime Eusebius, speciatim histor. lib. 5. cap. 1. & 3. & lib. 8. cap. 3. Porro adustiones laterum inter publicas poenas lib. 1. C. de emendat. servor. recensentur.

*Late-  
rum  
adustio  
inter  
publi-  
cas poe-  
nas re-  
cense-  
tur.* Erat autem lamina (uti aliqui ex citatis auctoribus, & quamplurimæ

mæ sanctorum Martyrum res gestæ innuere videntur) metalli cujusvis frustum ductum magis in longitudinem, quam in latitudinem, bractea crassius. bractea quippe in hoc à lamina differt, quod illa tenuior est, suaque sponte plicabilis, ac crepitans; lamina verò crassior, & crepitum non edit: ex ea namque armatura conficitur, & incensâ homines olim torqueri solebant. Admovebatur verò hujusmodi ferri frustum igne calefactum nudis sanctorum Martyrum, vel noxiorum hominum carnibus, & tamdiu ibidem detinebatur, donec eas immiferi corditer combussisset.

*De facibus quibus sancti Martires adurebantur.*

DE his facibus sermo habetur in diversis Sanctorum rebus gestis, nominatim Sabæ ductoris militum à Rom. Martyrologio relatis Kal. May, &c.

Duplicis generis hæ faces apud veteres extitere: quædam confectæ ex intimioribus crassiorib[us] *Faces pluri-  
um ge-  
nerum.*

K que

que partibus illarum arborum, quæ resinam ferunt, cujusmodi sunt picea, teda, larix, & pinus. meminerunt harum antiqui scriptores, ut Varro in *γεροντοδιδασκαλω* à Nonio Marcello relatus: *Confluit mulierum tota Roma; qua noctu fieri initia solita etiam nunc pinea fax indicat.* Idem sexagesi:

*Adest fax involuta incendio.*

Alterius verò generis faces. ex contortis funiculis, cerâ, aut pice circumdati fiebant. harum fidem faciunt Virgilius Æneidos i. his verbis.

— *Et noctem flammis funeralia vincunt.*

Cicero lib. de senectute. *Delectabatur cereo funerali & alibi sæpè.*

De utrisque Plutarchus in Cicerone: *Funalia præterea per urbes, vicos elucere, lampades, faces, tedæque in foribus figi.*

His igitur explicatis, dicimus, utriusque generis facibus, hoc est, funeralibus, & tedis, fuisse Christianos à Gentilibus semiustulatos. De tedis restes sunt Acta sanctæ Barbaræ virginis nuper citata: namque ubi alii scripsere Bar-

Barbarem facibus adustam, Me-  
taphr. tedis eam excruciatam  
fuisse, memoriæ tradidit; sic enim  
scriptum reliquit: *Accensus Præses  
ad majorem iracundiam, & non valens  
se continere, jubet iis qui aderant, fer-  
reis peñinibus latera virginis scindere,  
& tedis igneis membra jam lacerata u-  
rere.* hucusque res gestæ.

Præterea teda, sicuti & funa-  
lia, erant temporibus illis valdè in  
usu, ut prænotati auctores indi-  
care videntur, & ratio ipsa con-  
firmat. Siquidem teda redundan-  
tior humore est aliis arboribus  
resinam ferentibus, parcior li-  
quidiorque quam picea, flammis-  
que (ut inquit Plinius) & lumini  
sacrorum gratior. Faces igitur Facibus  
ex tedis  
magis  
utelan-  
tar an-  
tiqui:  
ex teda confectæ erant antiquis  
magis usitatæ, quam reliquæ si-  
milis generis.

Hoc etiam tormenti genere  
(ut tradit *Theatrum crudelita-  
tum hæriticorum nostri tempo-  
ris*) affliguntur Catholici in re-  
ligionis nostræ odium ab Hæ-  
reticis, ut ibidem videre pote-  
ris.


*De Lampadibus ardentibus.*

*Lampades  
quid  
essent.*

Revocantur lampades (si fides præstanta est quibusdam, quæ h̄ic Romæ in antiquis marmoribus sculptæ conspiciuntur) ad genus facis: fiebant autem h̄oc modo. Desumebantur primū vasa quædam lata unius palmi longitudinis, vel aliquantulūm majoris, quæ deinde à summo ad arctiorem formam paululūm præpostæræ perversæque pyramidis instar contrahebantur, atque adstringebantur. Erant autem vasa vel terrea, sicuti indicant illa quæ ex ruinis hujuscē urbis nonnumquam eruuntur; vel ferrea, veluti Columella innuit lib. 12. cap. 18. Postea verò vasa hæc hastulis quibusdam quadratis & simul colligitatis septa, quæ ad vasorum similitudinem & ipsæ à summo paulatim adstringebantur, igne flamمام emitente repleri solebant. Porro has hastulas, si ad ea, ad quæ lampades usui erant, animum referamus, intelligemus quinque aut sex palmis plus minusve extitisse oblongas.

*De*

A Lampades ardentes  
B Funalia et faces  
C Laminæ carentes




*De cruciatiib⁹, quibus Martires de Equuleo depositi afficiebantur.*

*Mar-* Novissime observari o-  
*tyres de* portet, Christi fideles de Equuleo  
*Equu-* depositos, prædictis jam instru-  
*leo de-* mentis aut excruciatos fuisse, aut  
*positi* continuò ad quartum vel quin-  
*dira* tum foramen cruribus divaricatis  
*patie-* distentos, ut cap. 3. diximus, aut  
*bantur.* nudos super testaceis fragmentis  
 diu volutatos, aut etiam quando-  
 que oleo ebullienti, vel consimi-  
 libus perfusos; quæ omnia & sin-  
 gula ostendunt sanctorum Mar-  
 tyrum Acta, Vincentii nimirum  
 à Mombritio relat. tom. 2. Janua-  
 rii à Petro descripta catalogi lib.  
 6. cap. 85. Pelagii ab eodem au-  
 ctore lib. 7. cap. 120. Felicis ac  
 Fortunati à Petro similiter cata-  
 logi lib. 4. cap. 167. Aliis etiam  
 suppliciis legimus eos de Equuleo  
 depositos, affectos fuisse, quorum  
 sæpiissimè in Actis sanctorum  
 Martyrum fit mentio. Vide, fili-  
 bet, Acta S. Mennæ à Surio ex  
 Metaphr. tom. 1. recitata. Et de  
 facibus, laminis, atque lampadi-  
 bus hactenus.

A Martyr de equuleo depositus super  
testaceis fragmentis volvabatur.

B Aut viva calce, oleo ebullienti, et  
consimilibus profundebatur.



E X F R. J U R E T I  
NOTIS AD PAULINUM.

Paulinus lib. v. de vita S. Martini.

**A**ST alii sursum porrecti robora ligni,  
Triste ministerium furioso corde pa-  
rabant,  
Ut caro distentis properè malè pendula mem-  
bris  
Tortori laceros crucienda exponeret artus,  
Tartaream misero perfundens sanguine dex-  
tram,  
Et spargens tristem per vulnera crebra crue-  
rem.  
Utque eadem geminum satiaret pœna furo-  
rem,  
Incusso riaceri quatiebat corporis artus.

*Porrecti robora ligni]* Locus obscurus.  
Puto *ligni* nomine intelligi Eculeum,  
qui lignea quædam machina fuit. Do-  
cet id Prudentius qui, in Romano  
Martyre, ubi dixit,

*Eviscerandum corpus Eculeo eminus*  
*Pendere, & uncis unguisque crescere.*  
Istatim *stipitem* appellat Eculeum,  
*Jubet amoveri noxialem stipitem.*  
Sic accipio quod ait vetustus auctor  
vitæ Blasii Martyris : *Fuſſit eam in ligno*  
*suspendi*

suspendi, & cum ferreis pectinibus carnes ejus carminari. Et in vita Valeriani : *Præses stipiti adpensum sanctum martyrem unguibus jussit ferreis laniari.* Symeo Metaphrastes in vita Clementis Ancyranæ Episcopi (ut interpres vertit) *Iubet sublimem eum tollere in lignum, & sic eum ferreis carpere unguis.* Quin & Theodoritus Histor. Eccles. 3. cap. 11. Theodorum quendam narrat sub Iuliano, publicè ligno appensum fuisse, unguibusque latera illius perfossa. Quid & repetit Sozomenus lib. 5. cap. 20. ubi tamen Musculus interpres vertit, *ad palum defixum.* Sed hi loci non nisi de eculeo accipi debent, ut clarè colligere est ex Rufino, qui lib. 1. Hist. Eccles. cap. 36. ubi ejusdem Theodori constantiam in poenis narrat, pro ligno rectè reddidit eculeum. *Cum ille in eculeo (ait) sublimis, & hinc inde lateribus instante tortore.* Statimque subjicit : *Quando de eculeo deponi iussus est.* Theodoreetus & Sozomenus utuntur Græca voce ξύλον, quæ *lignum* est. Christophorus apud Sozomenum vertit *eculeum*, apud Theodoreum, *patibulum*. qui tamen interpres in eo labitur, quod scribit Theodorum illum testis acutis perfossum fuisse. nimirum dictionem, ὅρεξ, quâ illi duo auctores

utuntur, *testam* denotare putat, cum potius *ungues* sive *ungulas* significet, ut ibi rectè vertit Musculus. Nam *ungulas* cum eculeo jungi mox probabo. Testæ verò diversæ erant poenæ ab *ungulis*, ut ex *vitis* martyrum constat. Rectè autem in hoc ligno distenta membra fuisse Paulinus hic ait. Nam hinc est quod epitheto proprio, *eculeus extendens* dicitur. D. Cyprianus ad Donatum, & carnifex præsto est, *ungula effodiens*, *equuleus extendens*, *ignis exurens*. Idem ferm. 5. de lapsis, cum nunc *equuleus extenderet*, nunc *ungula effoderet*, nunc *flamma torreret*. Adjicit Paulinus distenti in ligno corporis etiam quatì artus laceros, & diffici vincula membrorum. Quibus verbis opinor respexisse ad *ungulas*, sive *ungues* quos observavi cum eculeo conjungi, quia illæ poenæ sibi mutuo cohærebant. Id præter superiora testimonia, sequentes loci confirmant. Antiquus Theologus de peccatis loquens: *Cum reputare tibi cœperis ea, tamquam in eculeo suspende cogitationes tuas, & unguis timoris Dei eas tradito.* Alius *vetus auctor passionis* D. Valerii Archidiaciconi Lingonensis: *Alii eum eculeo suspensunt, alii nervis fortissimis ac recentibus attrahunt. Hi unguis ossium tenus radunt, illæ loris*

*loris & taureis cedunt. Sic in vita Satur-nini: in Eculeum suspensum tendit, unguis per stridentibus laniavit. Et strabus in Mammete*

— *Jubet altius ergo  
Sandum suspendi, tormentisque acribus  
amens  
Pulsat utrumque latus. Dum carpitur  
Unguis uncis  
Nullam dat Mammes vocem.*

Potest etiam Paulini locus accipi de pectinibus ferreis, ut in passione D. Barbaræ: *Præses jubet eam nudam à torto-ribus in Equuleo suspendi, pedibus ejus sursum versis, & pectinibus ferreis sacra ejus latera perforari, &c.*

Horum pectinum fit mentio in vita Blasii, cuius locum supra notavi, & apud Simeonem Metaphrastem in vita Clementis Ancyranæ, qui supra manuum ferrearum in poenis meminit, ut etiam reliqui vetusti passionum scriptores. Diversa verò hæc inter se erant. Prudentius in Romano Martyre vocat *Ungulas bisulcas*, quod epithetum formam *Ungulæ* exprimit.

*Offerens costas bisulcis exarandas Ungulis.  
Ceterum fallitur Ant. Contius, qui in  
libro ad leges majestatis: Græca Meta-  
phrasie (ait) in L. nullus, C. ad l. Ful. Maj.  
pro fidicularum tormentis vertit un-  
guium*

gium poenam : debuit autem *Latinus* interpres vertere unguarum poenam, quam tamen *Graci* scholia & non satis cognitam habuerunt, scribentes quosdam dicere *Ungulas esse ferramenta*, quibus inferantur condemnati, alios vero esse calamos acutos unguibus insertos, &c. Sic Contius, sed non placet, quod *Unguum* & *Ungularum* nomina differre putat, quodque fecutus Isidorum & Papiam, confundit *Ungulas* cum fidiculis. Istae enim chordulæ erant quibus rei distendebantur. Suetonius in Tiberio cap. L X I I . Ut veretris delegatis fidicularum simul, urinæque tormento distenderet. Ut Valerius Maximus lib. 3. cap. 3. *Fidiculas laxavit, solvit Eculeum.* Hæc paulò latius, quia vulgo non benè cognita, etiam doctos decipiunt.

# I N D E X

Tam rerum memorabilium quam  
Auctorum, qui tum in libello *Magii*  
de *Equuleo*, tum in Notis, & appen-  
dice laudantur vel explicantur.

	A.	
<b>A</b> ccursius notatus		tianus laudatus ib.
ignorantiae in antiquitatibus		Aristoteles 87
13		Aristophanis Scholastes notatus à Magio
Alciatus laudatus 15		21. 22. defensus 76.
Alciatum equuleum ignorasse ibid.		78
Ammiani Marcellini loci de equuleo 126.		Arnoldus Manlius
130, 156. explicantus 144		Gandensis elog.
Andreas Maurocenus Historiographus laudatus 43		Arquus antiquis pro arcus 56. 57
Angelius Barganus amicus Magii elog.		Asconii locus de Equuleo 118
Angelus Caninius affinis Magii. ibid. & Præfat.		Athenaeus Mechanicus scriptor 30
Anglara & Angleria differunt elog.		Aubertus Miraeus notatus elog.
Anglara Magii patria ibid.		D. Augustinus 70
Antonius Maria Gra-		Augustus Thuanus notatus elog.
		Aurelius Prudentius Poëta Christianus 33
		Ausonius Popula 57
		B.
	<b>B</b>	adius notatus 6
		Bartholomeaus
		K 6 Magius

# I N D E X.

<i>Magius frater Magii,</i>	<i>error de equuleo nota-</i>
<i>elog.</i>	<i>tus</i> 15. 16
<i>Bucanus pro Bucavis n.</i>	<i>Carolus Rymius lega-</i>
61	<i>tus Maximil. Imper-</i>
<i>Bernardinus Felicianus</i>	<i>rator. Bizantii Elog.</i>
<i>laudatus</i> 19	<i>Carolus Sigonius lau-</i>
<i>Eito</i> 29	<i>datus &amp; notatus</i> 22.
<i>Brisonius laudatus</i>	<i>defensus</i> 77
<i>Præf.</i>	<i>Casparus Jungerma-</i>
<i>Brixia urbs florentissi-</i>	<i>nus Goth. frater lau-</i>
<i>ma 7. pictoris ibi e-</i>	<i>datus</i> 71
<i>quulei pictura</i> ibid.	<i>Castalio</i> 89
<i>Budæus laudatus</i>	<i>Catalogus librorum</i>
<i>Præf.</i>	<i>editorum à Magio E-</i>
	<i>log.</i>
<b>C.</b>	
<b>C.</b> antiquè pro Qu	<i>Catasta quid significet</i>
<i>scriptum 5. 6, 60</i>	161. <i>ejus varia ex-</i>
<i>Calepon</i> 17. 72	<i>plicatio</i> ib. & 162.
<i>Calepinus scriptorum</i>	<i>Catasta diversa est ab</i>
<i>fortunatissimus cur à</i>	<i>equuleo</i> ibid. & 163
<i>Magio vocari soleat</i>	<i>Cavalletti Italorum</i>
16. 17	5. 33, 138
<i>Calepini Lexicon quam</i>	<i>Celsi locus de Scamno</i>
<i>initio rude fuerit</i> ib.	<i>Hippocratis</i> 108
<i>in eo à viris doctis re-</i>	<i>Chrysostomi sententia</i>
<i>censito equulei expli-</i>	<i>ad locum Epist. ad</i>
<i>catio notata</i> ibid.	<i>Hebreos non probata</i>
<i>Cardani laus, ejusque</i>	24. <i>idem laudatus</i>
	<i>ibid. &amp; 91.</i>
	<i>Ciceronis loci de equu-</i>
	<i>leo</i>

# I N D E X.

<i>leo</i>	29. 39, 125,	D.
126. <i>eius loci de lamminis ardentibus, fidiculis, &amp; vinculis</i>		<b>D</b> Alechampius 92 Decuriones non torquebantur equuleo 37. 110
124		
<i>Cocus antiquis procoquus</i>	57	Demosthenes explicatus 84
<i>Codicis Fust. locus de equuleo</i>	13. 38	De servis in Dominum ne tormentis quidem quari olim licebat 129
<i>Conjectura Jungermanni de authore equulei</i>	94. 95	Diversò fuere. Raphaëles. Regius alius, alius Volaterranus 66. 67
<i>Conjectus in eculeum, in dolium ferreis clavis præfixum, in arcam, in lebetem. 12. in carcerem, in fornacem, in latrinam</i>	ibid.	E.
<i>Crines mulierum in equuleo torquendarum augendi doloris studio ad ejus stipitem alligabantur</i>	144	<b>E</b> Cus ἀρχαινῶς pro equus 6
<i>Cruci qui affigebantur extensis pedibus, &amp; passis brachiis constabant.</i>	24. 25	Eculeus an Equuleus scribendum 5. 56, 57, 61. &c seqq.
<i>S. Cyprianus</i>	129	Equuleus Savissimum instrumentum omnium 3. 4.
		Equuleus cur ita dicitur 4. 54, 55
		Equuleus non pedes tantum sed totum corpus extendebat 164
		Equu-

# I N D E X.

- |                                   |                               |
|-----------------------------------|-------------------------------|
| <i>Equuleus Sigonii cata-</i>     | <i>quo rei ad quartum</i>     |
| <i>stalinea 131. an re-</i>       | <i>vel quintum foramen</i>    |
| <i>cētē 161. Equuleus</i>         | <i>extendebantur 163.</i>     |
| <i>Volaterrani 10. Val-</i>       | <i>164</i>                    |
| <i>la 8. Alciati &amp; Car-</i>   | <i>Equuleo qui torque-</i>    |
| <i>dani 15. 16. inter-</i>        | <i>bantur jacebant cor-</i>   |
| <i>pretum Juris Civi-</i>         | <i>pore prostrato 140.</i>    |
| <i>lis &amp; Canonici 13.</i>     | <i>oculis in calum con-</i>   |
| <i>Calepini 18. Gallo-</i>        | <i>versis ibid.</i>           |
| <i>nii 133. Equuleus</i>          | <i>Equuleus ē terra ali-</i>  |
| <i>Brixiensis 19. Seghe-</i>      | <i>quantulum ex omni</i>      |
| <i>ti 43. 44</i>                  | <i>parte elevatus 146</i>     |
| <i>Equuleus Gallonii ha-</i>      | <i>Equuleus quibusdam</i>     |
| <i>bet rotulas striatas.</i>      | <i>lamina ardens 18.</i>      |
| <i>ibid. &amp; 141. in eo</i>     | <i>130. an rectē 72. 161</i>  |
| <i>levati brachiis post</i>       | <i>Equuleus Mirandula-</i>    |
| <i>terga distortis, pedi-</i>     | <i>nus 43. 44</i>             |
| <i>busque eidem equuleo</i>       | <i>Equuleo non torque-</i>    |
| <i>funiculis alligatis di-</i>    | <i>bantur nobiles 37</i>      |
| <i>stendebantur ibid. &amp;</i>   | <i>Equuleo utebantur ad</i>   |
| <i>144. fuit machina</i>          | <i>extorquendam de reis</i>   |
| <i>ligneā 138</i>                 | <i>veritatem 125. 130</i>     |
| <i>Equulei extensio &amp; in-</i> | <i>Equulei pœna servilis</i>  |
| <i>tensio 168</i>                 | <i>37. 108</i>                |
| <i>Equuleus cur dictus</i>        | <i>Equuleus Latinorum</i>     |
| <i>stipes 169. quare</i>          | <i>Gracis vocabatur</i>       |
| <i>crux ibid. cur mala</i>        | <i>Tóμπανον 21</i>            |
| <i>mansiō 170</i>                 | <i>Equulei inventores qui</i> |
| <i>Equuleus alius erat ab</i>     | <i>29. 94, 95. usum</i>       |
| <i>illo genere compedium,</i>     | <i>apud Hispanos &amp;</i>    |
|                                   | <i>Gal-</i>                   |

# I N D E X.

<i>Ετυμπανισθησαν</i>	24.	<i>læ 152. à finden-</i>
26, 88, 89. & seqq.		<i>do aut fodicando</i>
<i>Erasmus Roterodamus</i>		<i>ibid.</i>
<i>laudatus</i> 89. <i>ejus ex-</i>		<i>Flagra vel flagella e-</i>
<i>plicatio verbi ετυμπα-</i>		<i>quulei tormento ad-</i>
<i>νισθησαν</i>	<i>ibid.</i>	<i>bibita</i> 38
<i>Eusebii loci de equuleo</i>		<i>Franciscus de Noailles.</i>
116. 120, 141,		<i>orator Regis Chri-</i>
142. <i>idem in defini-</i>		<i>stianiss. in porta Otho-</i>
<i>tione equulei explica-</i>		<i>mannica</i> elog.
<i>tus</i>	171	<i>Franc. Spinola lauda-</i>
<i>Eustathius laudatus</i>		<i>tus</i> 20. <i>ejus carmi-</i>
93		<i>num libelli, &amp; alius</i>
<i>Extensi in equuleo va-</i>		<i>de ratione intercalan-</i>
<i>riis tormentorum ge-</i>		<i>di</i> 21. <i>ejusdem mors</i>
<i>neribus affligebantur</i>		<i>ibid.</i>
155		<i>Franc. Floridas</i> 60
F.		<i>Franc. Robortellus præ-</i>
<b>F</b> aces ardentes		<i>ceptor Magii Elog.</i>
quid 186 earum		<i>Franciscus Sweertius</i>
descriptio <i>ibid.</i> figura		<i>laudatus</i> 53. <i>notatus</i>
189 duplicitis generis		<i>elog.</i>
sunt	185	<i>Funis tormentum</i> 10
<i>Fidicula Magio idem</i>		<i>Funis tormentum ho-</i>
<i>cum Equuleo</i> 8. <i>an-</i>		<i>diernum non esse ve-</i>
<i>rectè</i>	100. 101	<i>terum equuleum</i> ib.
<i>Fidicula apud veteres</i>		&
<i>quid essent</i> 150. 151		68
<i>Fidicula quasi fin-</i>		<i>Funiculi in equuleo non</i>
<i>diculae aut fodicu-</i>		<i>laxabantur remitten-</i>
		<i>di doloris causa</i> 145.
		&

# I N D E X.

<b>&amp; seqq.</b> <i>Funiculis equulei laxatis rei incurvatis corporibus sub equulei machina cadebant</i> <b>144</b> <i>Fustis seu lignum quo verberabantur fontes non fuisse equuleum</i> <b>22</b>	<b>ta</b> <i>Græcorum olim solertia, qua hodie interriit</i> <b>30</b> <i>Græcos ut rerum multarum, ita equulei auctores fuisse</i> <b>29</b> <i>Guarinus</i> <i>Guljelmus Pratensis</i> <i>Episcopus Claromonitanus laudatus Præf.</i> <b>et 53</b>	<b>14</b> <b>86</b> <b>86</b> <b>Præf.</b>
<b>G.</b>		<b>H.</b>
<b>G</b> <i>Allonii sententia de equuleo</i> <b>133.</b> <b>&amp; seqq.</b> <i>Gallorum amor erga litteras bonas, isque antiquus Præf.</i> <i>Genna Gallorum</i> <b>9.</b> <b>36, 66, 68</b> <i>Georgii Fabricii sententia de equuleo</i> <b>55</b> <i>Gesneri additamentis et castigationibus Lexicon Calepini formam accepit</i> <b>18</b> <i>Glareanus</i> <b>60</b> <i>Glossularii juris Canonici somnia nota-</i>	<b>H</b> <i>Adrianus Iunius</i> <b>66.</b> <i>laudatus</i> <b>82. 83</b> <i>Henricus Stephanus</i> <b>82. 88.</b> <i>laudatus</i> <b>61</b> <i>H. Schilerus laudatus</i> <b>102</b> <i>Hero</i> <b>29</b> <i>Hesychius</i> <b>77.</b> <i>laudatus</i> <b>81</b> <i>Hippocratis scannum</i> <b>5. 37, 56, 102, 103.</b> <i>eius figura expressa</i> <i>ibid.</i> <i>Homini nil vita brevitate melius natura dedit</i>	

# I N D E X.

<i>dedit</i>	3	<i>Joannes Nicolaus Ju-</i>
<i>Hotomanni Sententia</i>		<i>stius laudatus elog.</i>
<i>de equuleo</i>	55	<i>Fodocus Badius nota-</i>
<i>H. Gifanius lauda-</i>		<i>tus</i> 6.60.
<i>tus</i>	62	<i>Isaacus Casaubonus</i>
		<i>laudatus</i> 91
<b>I.</b>		<i>Isidori opinio de fidicu-</i>
		<i>lis</i> 100
<b>I</b> <i>Acobus Pamelius in</i>		<i>Judicia debent esse li-</i>
<i>Cypriani locum de</i>		<i>bera</i> 23
<i>equuleo</i> 129. 161		<i>Julius Pollux</i> 22.74
<i>Janus Parrhasius Al-</i>		<i>Jureti opinio de equis-</i>
<i>ciasi praeceptor lau-</i>		<i>leo</i> 192. & seqq.
<i>datus</i>	15	<i>Juris Cesarei &amp; Pon-</i>
<i>Ingenui non poterant</i>		<i>tificii interpretes e-</i>
<i>torqueri equuleo</i> 37		<i>quuleum minimè no-</i>
<i>Instrumenta excru-</i>		<i>visse</i> 13. 14
<i>ciandi corporis ab ho-</i>		<i>Juris Civilis loci de</i>
<i>minibus excoxitata</i>		<i>equuleo</i> 37.38
<i>varia</i>	3	
<b>J</b> <i>Joachimus Camera-</i>		<b>L.</b>
<i>rius avus maternus</i>		
<i>Jungermanni</i> 89. e-		<b>L</b> <i>Ambinus</i> 58
<i>ius explicatio verbi</i>		<i>Lamina ardentes</i>
<i>τετραπλιθησαν</i> ibid.		136. <i>ab equuleo dif-</i>
<i>Joannes Vincentius</i>		<i>ferunt</i> 18.72. <i>ea-</i>
<i>Pinellus laudatus</i> 36		<i>rum descriptio</i> 184.
<i>Joannes Choenius</i> 50		185. <i>figura</i> 189
<i>Joannes Andreas à</i>		<i>Lampades ardentes</i>
<i>Cruce Venetus</i> 103		136. <i>earum fabri-</i>
		<i>ca</i>

# I N D E X.

<i>ca</i> 188 figura 189 iis corpora reorum ex car- nificabantur 136	minus Turca quieti indulgebat, libellum de equuleo conscripsit Praef.
Laxavit fidiculas quomodo intelligen- dum 149	
<i>Lex Decuriones Cod. de quest. expli- cata</i> 153	<i>Magius juvenis apud Florentinos legatimur- nus sustinuit Elog.</i>
<i>Lignum quo verbera- bantur fontes, non fuisse equuleum</i> 22	<i>Magius muniendarum arcium, ac civitatum artem callebat. Elog.</i>
<i>Locus Epistola ad He- braeos cap. XI. expli- catus</i> 88. 89	<i>Turcis Cyprum inva- dentibus egregiam Reipub. Veneta operam navavit ibid. hostibus in Famagu- stana obsidione multa detrimenta attulit.</i>
<i>Lucianus</i> 77	<i>ibid. captus à Turcis contra fidem datam</i>
<i>Lucretius</i> 59	<i>ibid. toleranda fortis sua conditioni Musas in subsidium vocat.</i>
	<i>ibid. duos libellos in captivitate composuit</i>
	<i>ibid.</i>
<b>M</b> Achinarum pa- nè omnium au- ctores Graci 29	<i>Magius Strangulari à Mahomete Bassa in carcere jussus eleg.</i>
<i>Machinula quadam e- rant equuleo affixa</i> 143	<i>&amp; pag.</i> 51
<i>Magi, Malefici, arioli, aruspices equuleo de- diti</i> 70	<i>Magius notatus</i> 76.
<i>Magii patria Elog.</i>	<i>laus-</i>
<i>Magius in ergastulo no- cturnis horis quas do-</i>	

# I N D E X.

<i>laudatus</i>	79	<i>leo</i> 126. &c seqq.
<i>Magii de equuleo sen-</i>		<i>Morbi corporis torto-</i>
<i>tentia</i>	31. 32	<i>res savissimi</i> 1. 2
<i>Manustii additamentis</i>		<i>Mors omnium terribi-</i>
<i>&amp; castigationibus</i>		<i>lium ultimum</i> 2. 54
<i>Lexicon Culepini au-</i>		<i>Mulierum crines equis-</i>
<i>ctum</i>	18	<i>leo alligabantur</i> 144
<i>Martialis locus de fidi-</i>		<i>Muretus notatus</i> 140.
<i>culis</i>	101	
<i>Martyres trochleis di-</i>		
<i>stendebantur</i>	165	
<i>Martyr in equuleo ex-</i>		N.
<i>pressus</i>	135	
<i>Martyr pendens ab e-</i>		<b>N</b> atura nil homi-
<i>quuleo expressus</i>	ib.	<i>nibus brevitate</i>
<i>Martyres pendentes ab</i>		<i>vita præstítit melius</i>
<i>equuleo laminis can-</i>		54
<i>dentibus, &amp; funalium</i>		
<i>flammis combusti</i>		
	136. 137, 165	<i>Naturam injuriè ac-</i>
<i>Martyres suspendio</i>		<i>cusari quasi non so-</i>
<i>gravibus appensorum</i>		<i>lum homini brevem</i>
<i>pedibus additis pon-</i>		<i>vitam dederit, sed &amp;</i>
<i>deribus extendebant-</i>		<i>corpus morbis &amp; cru-</i>
<i>tur</i>	165	<i>ciatibus obnoxium</i> 2
<i>Martyres de equuleo</i>		<i>Nobiliores equuleo non</i>
<i>depositi super testaceis</i>		<i>torti</i> 37
<i>fragmentis voluta-</i>		
<i>bantur, aut viva calce</i>		<i>Nonius Marcellus</i> 117
<i>perfundebantur</i>	190	
		O.
		<b>O</b> Ribasius 27. 29,
		104
		P.
		<b>P</b> Alcum 161
		<b>P</b> amelii explicatio

# I N D E X.

<i>tio vocis Catastæ</i>	<i>quuleo</i> 33. 34. &
161	<i>seqq. 95. 108, 109,</i>
<i>Pappus</i> 29	<i>116, 123, 156,</i>
<i>Pasicrates inventor</i>	<i>169</i>
<i>scamni Hippocratici</i>	
56	
<i>Pectines ferrei quomo-</i>	<i>Prudentius explicata-</i>
<i>do construitti 180. iis</i>	<i>tus</i> 172. 173
<i>martyrum carnes di-</i>	<i>Pulledri</i> 36
<i>scerpebantur ibid.</i>	<i>Pulliedro Hispano-</i>
<i>Pauli locus ad He-</i>	<i>rum</i> 9. & 36
<i>braos in verbo ium-</i>	
<i>nariōθnōav explicatus</i>	
24. 26, 89	
<i>Paulus Ægineta</i> 28	
<i>Philosophi Graci Sti-</i>	<i>Q. Uid sit reum in</i>
<i>pem emendare soliti</i>	<i>equuleo suspenda</i>
<i>Præfat.</i>	166
<i>Pijnhancit.</i> 68	
<i>Plinius</i> 3	<i>Quintilianus explicata-</i>
<i>Plurimorum sententia</i>	<i>tus</i> 149, 150
<i>de equuleo improbata</i>	<i>Quintiliani loci de</i>
7. 10, 13, 14, 16, 19	<i>equuleo</i> 18. 34,
<i>Plutarchus</i> 86	126
<i>Pomponii loci de equu-</i>	
<i>leo</i> 117. 118, 158	<i>R.</i>
<i>Priscianus laudatus</i>	
56. 59. <i>emendatus</i>	
57	<i>P. &amp; in nonnullis</i>
<i>Prudentii loci de e-</i>	<i>M. SS. Gracis in fi-</i>
	<i>ne verborum prorsus</i>
	<i>eodem scribuntur mo-</i>
	<i>do</i> 61
	<i>Rad. Fornerius lauda-</i>
	<i>tus</i> 57
	<i>Ra-</i>

# I N D E X.

- |   |                         |
|---|-------------------------|
| <i>Raphaël Volaterra-</i>                                   | <i>22</i>               |
| <i>nus</i> 10. 64; <i>eius</i> <i>Sententia de equu-</i>    |                         |
| <i>sententia de equuleo</i> <i>leo diversæ</i> 130.         |                         |
| <i>ibid.</i> 131  |                         |
| <i>Raphaël Du Fresne</i> <i>Segheti de equuleo</i>          |                         |
| <i>auctor operis de re-</i> <i>sententia</i> 43             |                         |
| <i>rum Italicarum scri-</i> <i>Segheti equuleus ge-</i>     |                         |
| <i>toribus</i> <i>mina figura expres-</i>                   |                         |
| <i>elog.</i> <i>sus</i> 45. 46                              |                         |
| <i>Rechamus quid sit</i> <i>Seneca loci de e-</i>           |                         |
| 143 <i>quuleo</i> 11. 69, 99,                               |                         |
| <i>Reorum corpora pluri-</i> 126                            |                         |
| <i>bus modis extensa</i> 165                                |                         |
| <i>Rodulphus Gualthe-</i> <i>Sergius Grammaticus</i>        |                         |
| <i>rus Pollucis inter-</i> 59                               |                         |
| <i>pres notatus</i> 22. 37. 108                             |                         |
| 74, 75. <i>defensus</i> <i>Sigonii sententia de</i>         |                         |
| 77 <i>equuleo</i> 114. &c                                   |                         |
| <i>Rupit verbera quo-</i> <i>seqq.</i>                      |                         |
| <i>modo intelligendum</i> <i>Sigonius notatus</i>           |                         |
| 149 146. &c sequent.  |                         |
| S. 161  |                         |
| <b>S</b> <i>Camnum Hippo-</i> <i>Sigonium confudisse e-</i> |                         |
| <i>cratis</i> 5. & 36. <i>quuleum cum Ca-</i>               |                         |
| <i>eius descriptio</i> 37. <i>tasta, nec non</i>            |                         |
| <i>figura</i> 103 <i>cum genere illo com-</i>               |                         |
| <i>Scholia festes Aristot-</i> <i>pedum, quo rei in-</i>    |                         |
| <i>elianis notatus</i> 21. <i>carcere positi inje-</i>      |                         |
|   | <i>ctis ad quartum</i>  |
|   | <i>vel quintum for-</i> |
|   | <i>ramen</i>            |

# I N D E X.

<i>ramen pedibus vin-</i>	24
<i>cti detinebantur</i> 161	
<i>Σκυτάλη</i> 75	
<i>Solvit equuleum</i>	
<i>quomodo intelligen-</i>	
<i>dum</i> 149	
<i>Sozomeni locus de e-</i>	
<i>quuleo</i> 115	
<i>Sezomeni loci de equu-</i>	
<i>leo explicati</i> 171.	
<b>172</b>	
<i>Suetonii loci de equuleo</i>	
<b>35. 100</b>	
<i>Suetonius explicatus</i>	
<b>154</b>	
<i>Succulæ</i> 143	
<i>Surii loci de equuleo</i>	
<b>126. &amp; seqq.</b>	
<i>Suidas</i> 76. 84	
<i>Sylburgius</i> 94	
<b>T.</b>	
<b>T</b> <i>Edis ardenti-</i>	
<i>bus adureban-</i>	
<i>tur carnes reorum in</i>	
<i>equuleo</i> 136. <i>diffe-</i>	
<i>rentia earum à faci-</i>	
<i>bus</i> 187	
<i>Theodoreetus</i> 93	
<i>Theophilacti explicatio</i>	
<i>verbi ιτυπανισθησαν</i>	
	<b>24</b>
	<i>Theophrastus</i> 54
	<i>Thome Aquinatis laus</i>
	<b>26.</b> <i>unde Angelicus</i>
	<i>vocatus ibid. ejus-</i>
	<i>dem explicatio verbi</i>
	<i>ιτυπανισθησαν</i> ibid.
	<i>Thome Bosi sententia</i>
	<i>de loco Pauli ad He-</i>
	<i>braeos</i> 131. <i>eaque ap-</i>
	<i>probata</i> 133
	<i>Thuanus notatuselog.</i>
	<i>laudatus</i> 50
	<i>Tormenta varia ab ho-</i>
	<i>minibus excogitata</i> 3
	<i>Tormentum Neapoliti-</i>
	<i>tanum in arce</i> 36
	<i>Tratto de cuerda</i>
	<i>Hispanis quid sit</i> 68
	<i>Tratto di corda Ita-</i>
	<i>lis quid</i> ibid.
	<i>Trochleis extendebar-</i>
	<i>tur rei</i> 165
	<i>Turnebi sententia de</i>
	<i>equuleo</i> 55
	<i>Τύπανον quid sit pro-</i>
	<i>prie</i> 75
	<i>Τύπανον Gracorum es-</i>
	<i>se equuleum Magius</i>
	<i>putavit</i> 21, 80. <i>no-</i>
	<i>tatus</i>

## I N D E X.

- |   |  |
|---|--|
| tatus propter 79. &c  | Vallam fidiculas, igno-<br>rasse ibid. & 66  |
| Tūptarov quandoqui-<br>dem pro machina qua<br>distendebantur vel<br>suspendebantur son-<br>tes 82       | Valle epitaphium 64<br>Vincentius Pinellus<br>laudatus 36<br>Vitruvius 27. 29<br>Ulpianus Scholiastes<br>84        |
| Tūptarivičav, Tūptari.<br>ξερθα 21, 27  | Ungulae ferreae quibus<br>cutis eorum qui in e-<br>quuleo torquebantur,<br>laniabatur. 38. ca-<br>rum fabrica 176. |
| Tympanitis hydrops<br>28  | 177. figura 181  |
| Tūtarov pro Tūptarov<br>74  | Ungulae cur fidiculæ<br>distæ 151  |
| Tympana quid 27. 28   | Ungularum effodien-<br>tium & laminarum<br>candentium loci 122   |
| Tyranni savissimi apud<br>Græcos rerum potiti<br>30   | Unci quid 179. eo-<br>rum fabrica ibid. fi-<br>gura eorum expressa<br>181 iis excarnificati<br>rei 179             |
| V.  | Uncis pertrahebantur<br>damnati ad Scalas<br>Gemonias 180 ad<br>Cloacas ibid. ad<br>fentinas ad Tibe-<br>rim ibid. |
| Valerii Maximi<br>loci de equuleo<br>18. 38, 96, 126,<br>129  | Wolf   |
| Valerius Maximus ex-<br>plicatus 147. &c<br>seqq.   |  |
| Valla laudatus 7. in<br>antiquitatum expli-<br>catione lapsus ibid.<br>ejus censendi rigiditas<br>ibid. |  |

# F I N D E X.

W.		Z.
<b>W</b> olfgangus Ze- berus laudatus 75		<b>Z</b> enobius. Accia- jolus, ejusque interpretatio verbi τετυπανισθαι 93
Wolfius	84. 85	Zeno aurem Nearchi tyrannimorsu absidit
	X.	121
<b>X</b> ylander laudatus 86. 87		

F I N I S.



